
ORDO CELEBRANDI MATRIMONIUM



RITUALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI CONCILII VATICANI II RENOVATUM AUCTORITATE PAULI PP. VI EDITUM IOANNIS PAULI PP. II CURA RECOGNITUM

ORDO CELEBRANDI MATRIMONIUM

EDITIO TYPICA ALTERA

TYPIS VATICANIS

Editio typica altera 1991
Reimpressio 2008

ISBN 978-88-209-7969-0

www.libreriaeditricevaticana.com

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. N. CD 1068/89

DECRETUM

Ritus celebrandi Matrimonium, qui olim in Rituali Romano inveniebatur, ex decreto Concilii Vaticani II instauratus est anno 1969 per promulgationem a Sacra Rituum Congregatione factam *Ordinis celebrandi Matrimonium.*

In hac editione typica altera idem Ordo exhibetur ditior in Prænotandis, ritibus ac precibus, variationibus nonnullis introductis, ad normam Codicis Iuris Canonici anno 1983 promulgati.

Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, de speciali mandato Summi Pontificis IOANNIS PAULI II, novam hanc editionem eiusdem Ordinis publici iuris facit. Ordo vero in editione typica altera et lingua latina exaratus, statim ac prodierit, vigere incipiet; linguis autem vernaculis, cum translationes ab Apostolica Sede sint confirmatæ, a die quem Conferentiæ Episcoporum statuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 19 Martii 1990, in sollemnitate S. Ioseph.

EDUARDUS Card. MARTÍNEZ
Præfectus

✠ Ludovicus Kada
Archiep. tit. Thibicensis
a Secretis

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Prot. N. R 23/969

DECRETUM

Ordo celebrandi Matrimonium ad normam decretorum Constitutionis de sacra Liturgia recognitus, quo ditior fieret, et clarius gratiam sacramenti significaret atque munera coniugum inculcaret, a Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia est apparatus. Summus autem Pontifex Paulus VI eundem ritum Auctoritate Sua Apostolica approbavit et evulgari iussit. Quapropter hæc Sacra Rituum Congregatio, de speciali mandato Summi Pontificis, illum promulgat, statuens ut a die 1 iulii 1969 adhibeatur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus S. Congregationis Rituum, die 19 Martii 1969, in sollemnitate S. Ioseph, Sponsi B.M.V.

Benno Card. Gut
Præfectus S. Congr. Rituum
et « Consilii » Præses

✠ Ferdinandus Antonelli
Archiep. tit. Idicrensis
S.C.R. a Secretis

PRÆNOTANDA

I

De momento et dignitate sacramenti Matrimonii

1. Matrimoniale fœdus, quo vir et mulier inter se totius vitæ consortium constituunt,[1] vim et robur a creatione sumit, sed etiam ad altiorem dignitatem pro christifidelibus extollitur, cum inter novi fœderis Sacramenta adnumeretur.

2. Coniugii fœdere, seu irrevocabili utriusque consensu, quo coniuges libere sese mutuo tradunt excipiuntque, Matrimonium instauratur. Plenam autem coniugum fidem necnon indissolubilem vinculi unitatem tum ipsa singularis viri mulierisque exigit unio, tum bonum expostulat liberorum.[2]

3. Indole autem sua naturali, ipsum institutum Matrimonii amorque coniugalis ad procreationem et educationem prolis ordinantur, iisque veluti suo fastigio coronantur,[3] filiique sane sunt præstantissimum Matrimonii donum et ad ipsorum parentum bonum maxime conferunt.

4. Intima vitæ et amoris communitas, qua coniuges « iam non sunt duo sed una caro »,[4] a Deo Creatore condita est, propriis legibus instructa atque ea benedictione dotata, quæ sola per originalis peccati pœnam non est ablata.[5] Hoc vinculum sacrum propterea non ex humano arbitrio pendet, sed ab auctore Matrimonii, qui ipsum peculiaribus bonis ac finibus præditum voluit.[6]

[1] C.I.C., can. 1055, § 1.

[2] Cf. Conc. Vat. II, Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes*, n. 48.

[3] Cf. *ibid.*

[4] *Mt* 19, 6.

[5] Cf. benedictionem nuptialem.

[6] Cf. Conc. Vat. II, Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes*, n. 48.

5. Christus vero Dominus, novam creaturam novaque faciens omnia,[7] Matrimonium ad primigeniam formam sanctitatemque ita reductum voluit, ut quod Deus coniunxerit, homo non separet,[8] sed et hanc indissolubilem coniugii pactionem ut clarius significaret et facilius redderet ad exemplar sui nuptialis cum Ecclesia fœderis, ad Sacramenti dignitatem evexit.[9]

6. Præsentia sua benedictionem et gaudium nuptiis in Cana attulit, vino ex aqua facto, ita præsignans horam novi et æterni fœderis: « Sicut enim Deus olim fœdere dilectionis et fidelitatis populo suo occurrit, ita nunc hominum Salvator »[10] Ecclesiæ sponsum se præbet, adimplens fœdus cum ipsa in suo paschali mysterio.

7. Per Baptismum, sacramentum nempe fidei, vir et femina semel et in perpetuum inseruntur in Christi fœdus cum Ecclesia, ita ut eorum coniugalis communitas assumatur in Christi caritatem ac ditetur eius sacrificii virtute.[11] Ex hac nova condicione sequitur validum baptizatorum Matrimonium semper esse Sacramentum.[12]

8. Matrimonii sacramento mysterium unitatis et fecundi amoris inter Christum et Ecclesiam coniuges christiani significant atque participant;[13] ideoque tum in vita coniugali amplectenda, tum in prole suscipienda atque educanda se invicem ad sanctitatem adiuvant, et in populo Dei suum et ipsi habent locum propriumque donum.[14]

9. Per hoc Sacramentum Spiritus Sanctus efficit ut, quemadmodum Christus dilexit Ecclesiam et semetipsum pro ea tradidit,[15] ita et coniuges christiani æquali dignitate, mutua deditione atque indivisa dilectione quæ e divino scatet caritatis fonte, coniugium suum nutrire satagant

[7] Cf. *2 Cor* 5, 17.

[8] Cf. *Mt* 19, 6.

[9] Cf. Conc. Vat. II, Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes*, n. 48.

[10] *Ibid.*

[11] Cf. Ioannes Paulus II, Adhortatio Apostolica *Familiaris consortio*, n. 13: *A.A.S.* 74 (1982) 95; cf. Conc. Vat. II, Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes*, n. 48.

[12] Cf. C.I.C., can. 1055, § 2.

[13] Cf. *Eph* 5, 25.

[14] Cf. *1 Cor* 7, 7; Conc. Vat. II, Const. dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 11.

[15] Cf. *Eph* 5, 25.

atque fovere, quatenus divina simul et humana sociantes, inter prospera et adversa, et corpore et mente fideles perseverent,[16] ab omni adulterio et divortio prorsus alieni remanentes.[17]

10. Verus amoris coniugalis cultus totaque vitæ familiaris ratio, non posthabitis ceteris Matrimonii finibus, eo tendunt ut coniuges christiani forti animo dispositi sint ad cooperandum cum amore Creatoris et Salvatoris, qui per eos suam familiam in dies dilatat et ditat.[18] Itaque, divinæ Providentiæ confidentes et spiritum sacrificii excolentes,[19] Creatorem glorificant atque ad perfectionem in Christo contendunt, cum procreandi munere generosa, humana atque christiana responsabilitate funguntur.[20]

11. Deus autem, qui sponsos ad Matrimonium vocavit, in Matrimonium pergit vocare.[21] Qui in Christo nubunt, in fide verbi Dei mysterium unionis Christi et Ecclesiæ fructuose celebrare, recte vivere et coram omnibus publice testari valent. Matrimonium, in lumine fidei desideratum, præparatum, celebratum ac in vita cotidiana ductum, illud est « quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet... Quale iugum fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinae, eiusdem servitutis! Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio, atquin vere duo in carne una. Ubi caro una, unus et spiritus ».[22]

II

De officiis et ministeriis

12. Præparatio atque celebratio Matrimonii, quæ respicit in primis ipsos futuros coniuges atque eorum familiam, pertinet, ratione curæ

[16] Cf. Conc. Vat. II, Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes*, nn. 48. 50.

[17] Cf. *ibid.*, n. 49.

[18] Cf. *ibid.*, n. 50.

[19] Cf. *1 Cor* 7, 5.

[20] Cf. Conc. Vat. II, Const. pastoralis de Ecclesia in mundo huius temporis, *Gaudium et spes*, n. 50.

[21] Cf. Ioannes Paulus II, Adhortatio Apostolica *Familiaris consortio*, n. 51: *A.A.S.* 74 (1982) 143.

[22] Tertullianus, *Ad uxorem*, II, 8, 6-7: *CCL* I, 393.

pastoralis atque liturgicæ, ad Episcopum, ad parochum eiusque vicarios, atque, saltem aliquo modo, ad totam communitatem ecclesialem.[23]

13. Attentis normis vel indicationibus pastoralibus forsan ab Episcoporum Conferentia statutis circa præparationem nupturientium vel curam pastoralem Matrimonii, Episcopi est celebrationem et curam pastoralem Sacramenti in tota diœcesi moderari, christifidelibus assistentiam ordinando qua status matrimonialis in spiritu christiano servetur et in perfectione progrediatur.[24]

14. Pastores animarum curare debent ut in propria communitate hæc assistentia imprimis præbeatur:

1) prædicatione, catechesi minoribus, iuvenibus et adultis aptata, immo usu instrumentorum communicationis socialis, quibus christifideles de significatione Matrimonii christiani deque munere coniugum ac parentum christianorum instituantur;

2) præparatione personali ad Matrimonium ineundum, qua sponsuri ad novi sui status sanctitatem et officia disponantur;

3) fructuosa liturgica Matrimonii celebratione, qua eluceat coniuges mysterium unitatis et fecundi amoris inter Christum et Ecclesiam significare atque participare;

4) auxilio coniugatis præstito, ut ipsi fœdus coniugale fideliter servantes atque tuentes, ad sanctiorem in dies plenioremque in familia vitam ducendam perveniant.[25]

15. Ad debitam Matrimonii præparationem sufficiens tempus requiritur, de cuius necessitate nupturientes iam antea certiores fiant oportet.

16. Pastores, Christi amore ducti, nupturientes excipiant atque imprimis foveant nutriantque illorum fidem: sacramentum enim Matrimonii fidem supponit atque expostulat.[26]

17. Doctrinæ christianæ fundamentalibus elementis, de quibus supra (nn. 1-11), in nupturientium mentem pro opportunitate revocatis, fiat ipsis catechesis tum de doctrina circa Matrimonium et familiam, tum de

[23] Cf. Ioannes Paulus II, Adhortatio Apostolica *Familiaris consortio,* n. 66: *A.A.S.* 74 (1982) 159-162.

[24] Cf. *ibid.;* cf. C.I.C., cann. 1063-1064.

[25] Cf. C.I.C., can. 1063.

[26] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 59.

Sacramento eiusque ritibus, precibus et lectionibus, ita ut illud conscie et fructuose celebrare queant.

18. Catholici qui sacramentum Confirmationis nondum receperint, antequam ad Matrimonium admittantur, ad initiationem christianam complendam, illud recipiant, si id fieri possit sine gravi incommodo. Nupturientibus commendatur, ut in præparatione sacramenti Matrimonii sacramentum Pænitentiæ, si necesse est, recipiant et ad sanctissimam Eucharistiam accedant, præsertim in ipsa Matrimonii celebratione.[27]

19. Antequam Matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validæ et licitæ celebrationi obsistere.[28]

20. In præparatione peragenda, attenta populi habitudine mentis circa Matrimonium et familiam, pastores mutuum et authenticum amorem inter nupturientes evangelizare conentur in lumine fidei. Etiam ea quæ iure requiruntur ad Matrimonium validum et licitum contrahendum inservire possunt fidei vivæ et amori fecundo promovendis inter nupturientes ad familiam christianam constituendam.

21. Si vero, omni conatu ad irritum redacto, nupturientes aperte et expresse id quod Ecclesia intendit, cum Matrimonium baptizatorum celebratur, se respuere fatentur, animarum pastori non licet eos ad celebrationem admittere: quamvis id ægre ferat, debet rem ipsam agnoscere atque iis, quorum interest, persuadere non Ecclesiam, sed eos ipsos celebrationem, quam quidem petant, in talibus rerum adiunctis impedire.[29]

22. Circa Matrimonium haud raro casus particulares dantur: uti Matrimonium cum parte baptizata acatholica, cum catechumeno, cum parte simpliciter non baptizata, vel etiam cum parte quæ fidem catholicam explicite recusaverit. Qui curam agunt rei pastoralis præ oculis habeant normas Ecclesiæ pro huiusmodi casibus recurrantque, si casus ferat, ad auctoritatem competentem.

23. Convenit ut idem presbyter præparet nupturientes, et in ipsa celebratione Sacramenti homiliam faciat, consensus excipiat necnon Missam celebret.

[27] Cf. C.I.C., can. 1065.

[28] Cf. *ibid.*, can. 1066.

[29] Cf. Ioannes Paulus II, Adhortatio Apostolica *Familiaris consortio*, n. 68: *A.A.S.* 74 (1982) 165.

24. Etiam ad diaconum pertinet, facultate a parocho vel ab Ordinario loci accepta, celebrationi Sacramenti præsidere,[30] benedictione nuptiali haud exclusa.

25. Ubi desunt sacerdotes et diaconi, potest Episcopus diœcesanus, prævio voto favorabili Episcoporum Conferentiæ et obtenta licentia Apostolicæ Sedis, laicos delegare, qui Matrimoniis assistant. Laicus seligatur idoneus, ad institutionem nupturientibus tradendam capax et qui liturgiæ matrimoniali rite peragendæ aptus sit.[31] Exquirit sponsorum consensum eumque nomine Ecclesiæ recipit.[32]

26. Alii vero laici variis modis partem exercere possunt tum in præparatione spirituali nupturientium, tum in ipsa celebratione ritus. Tota autem communitas christiana cooperetur oportet ad fidem testificandam et amorem Christi mundo significandum.

27. Matrimonium celebretur in parœcia unius vel alterius nupturientis, vel alibi cum licentia proprii Ordinarii vel parochi.[33]

III

De celebratione Matrimonii

De præparatione

28. Cum Matrimonium ad incrementum et sanctificationem populi Dei ordinetur, eius celebratio indolem communitariam exhibet, quæ participationem suadet etiam communitatis parœcialis, saltem per aliqua eius membra. Consuetudinibus locorum attentis, iuxta opportunitatem, plura Matrimonia eodem tempore celebrari possunt vel Sacramenti celebratio fieri infra cœtum dominicalem.

29. Ipsa celebratio Sacramenti sedulo præparanda est, quantum fieri potest, cum nupturientibus. Matrimonium de more intra Missam celebretur. Parochus tamen, respectu habito tum necessitatum curæ pastoralis, tum modi vitæ Ecclesiæ participandi sive nupturientium, sive adstan-

[30] Cf. C.I.C., can. 1111.
[31] Cf. *ibid.*, can. 1112, § 2.
[32] Cf. *ibid.*, can. 1108, § 2.
[33] Cf. *ibid.*, can. 1115.

tium, videat utrum melius sit proponere Matrimonii celebrationem intra an extra Missam.[34] Cum ipsis nupturientibus, pro opportunitate, seligantur lectiones Scripturæ Sacræ, quæ in homilia explanabuntur; forma qua mutuum consensum exprimant; formularia pro benedictione anulorum, pro benedictione nuptiali, pro intentionibus precis universalis seu fidelium et pro cantibus. Insuper attendatur ad variationes in ritu prævisas opportune usurpandas, necnon ad consuetudines locales, quæ pro opportunitate servari possunt.

30. Cantus exsequendi ritui Matrimonii apti sint et fidem Ecclesiæ exprimant, attento quidem momento Psalmi responsorii intra liturgiam verbi. Quod de cantibus dicitur, valet etiam de operum musicorum selectione.

31. Indoles festiva celebrationis Matrimonii apto modo exprimatur oportet, etiam in ecclesia decoranda. Ordinarii tamen locorum advigilent ne, præter honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum socialium habeatur acceptio.[35]

32. Si Matrimonium celebretur die indolem pænitentialem præ se ferente, præsertim tempore Quadragesimæ, parochus sponsos moneat ut rationem habeant peculiaris naturæ illius diei. Celebratio Matrimonii feria sexta in Passione Domini et Sabbato Sancto omnino vitetur.

De ritu adhibendo

33. In celebratione Matrimonii intra Missam, adhibetur ritus in cap. I descriptus. In celebratione sine Missa, ritus fiat post liturgiam verbi, ad normam cap. II.

34. Quoties Matrimonium intra Missam celebratur, adhibetur, cum sacris vestibus coloris albi vel festivi, Missa ritualis « pro sponsis ». Occurrentibus vero diebus, qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur, adhibetur Missa de die cum suis lectionibus, retentis in ea benedictione nuptiali, atque, pro opportunitate, formula benedictionis finalis propria.

Si tamen, tempore Nativitatis et per annum, Missa, in qua dominica

[34] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 78.
[35] Cf. *ibid.,* n. 34.

die Matrimonium celebratur, a communitate parœciali participatur, adhibetur Missa de dominica.

Attamen, cum liturgia verbi celebrationi Matrimonii aptata magnam vim habeat in catechesi de ipso Sacramento et de muneribus coniugum tradenda, quando Missa « pro sponsis » non dicitur, una e lectionibus sumi potest e textibus pro celebratione Matrimonii prævisis (nn. 179-222).

35. Celebrationis Matrimonii præcipua elementa eluceant, nempe liturgia verbi, in qua significatur momentum Matrimonii christiani in historia salutis eiusque munera et officia in coniugum et liberorum sanctificatione curanda; consensus contrahentium, quem requirit excipitque assistens; veneranda illa oratio, qua benedictio Dei super sponsam et sponsum invocatur; Communio denique eucharistica utriusque sponsi ceterorumque adstantium, qua præsertim alitur eorum caritas atque ad communionem cum Domino et cum proximo elevantur.[36]

36. Si Matrimonium fit inter partem catholicam et partem baptizatam acatholicam, adhiberi debet ritus celebrandi Matrimonium sine Missa (nn. 79-117); si autem casus ferat, et de consensu Ordinarii loci, adhiberi potest ritus celebrandi Matrimonium intra Missam (nn. 45-78); quoad autem admissionem partis acatholicæ ad Communionem eucharisticam, serventur normæ pro variis casibus edictæ.[37] Si Matrimonium fit inter partem catholicam et partem catechumenam vel non christianam, usurpetur ritus qui infra (nn. 152-178) habetur, adhibitis variationibus pro diversis casibus prævisis.

37. Etsi pastores ministri Evangelii Christi sunt pro omnibus, specialem tamen animadversionem servent erga eos, qui celebrationem Matrimonii vel Eucharistiæ, sive sint catholici sive acatholici, numquam vel vix umquam participant. Norma hæc pastoralis in primis valet pro ipsis sponsis.

38. Præter ea quæ ad Missæ celebrationem requiruntur, si Matrimonium intra Missam celebratur, parentur in presbyterio Rituale Romanum et anuli pro sponsis. Parentur etiam, pro opportunitate, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, necnon calix sufficientis magnitudinis pro Communione sub utraque specie.

[36] Cf. Conc. Vat. II, Decr. de apostolatu laicorum, *Apostolicam actuositatem*, n. 3; Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 12.

[37] Cf. C.I.C., can. 844.

IV

De aptationibus Conferentiarum Episcoporum cura parandis

39. Conferentiis Episcoporum competit, vi Constitutionis de sacra Liturgia,[38] hoc Rituale Romanum, singularum regionum consuetudinibus et necessitatibus accommodare, ut, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeatur.

40. Qua de re, Conferentiarum Episcoporum erit:

1) Aptationes definire, de quibus infra (nn. 41-44).

2) Prænotanda, quæ in Rituali Romano habentur inde a n. 36 et sequentibus (De ritu adhibendo), si casus fert, aptare et complere ad participationem fidelium consciam et actuosam reddendam.

3) Versiones textuum parare, ita ut indoli variorum sermonum atque ingenio diversarum culturarum vere accommodentur, additis, quoties opportunum fuerit, melodiis cantui aptis.

4) In editionibus parandis, materiam ordinare modo qui ad usum pastoralem aptior videatur.

41. In aptationibus apparandis, præ oculis habeantur ea quæ sequuntur:

1) Formulæ Ritualis Romani aptari possunt vel, si casus fert, compleri (etiam interrogationes ante consensum et ipsa verba consensus).

2) Quando Rituale Romanum plures exhibet formulas ad libitum, alias formulas eiusdem generis adicere licet.

3) Servata structura ritus sacramentalis, ordo partium accommodari potest. Si opportunius videbitur, interrogationes ante consensum omitti possunt, firma tamen lege ut assistens requirat excipiatque contrahentium consensum.

4) Necessitate pastorali id exigente, statui potest ut contrahentium consensus semper interrogatione requiratur.

5) Traditione anulorum expleta, attentis locorum consuetudinibus, haberi potest vel coronatio sponsæ vel sponsorum velatio.

6) Sicubi iunctio manuum vel benedictio anulorum eorumque tradi-

[38] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 37-40 et 63b.

tio cum ingenio populorum componi nequeunt, statui potest ut hi ritus omittantur, vel aliis ritibus suppleantur.

7) Sedulo et prudenter consideretur quid ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune admitti possit.

42. Præterea unaquæque Conferentia Episcoporum facultatem habet exarandi ritum proprium Matrimonii, ad normam Constitutionis de sacra Liturgia (n. 63b), locorum et populorum usibus congruentem, actis ab Apostolica Sede probatis, firma tamen lege ut assistens requirat excipiatque contrahentium consensum,[39] et benedictio nuptialis impertiatur.[40] Etiam ritui proprio præmittenda sunt Prænotanda, quæ in Rituali Romano habentur,[41] exceptis iis quæ ad ritum adhibendum referuntur.

43. In usibus et modis celebrandi Matrimonium vigentibus apud populos, qui nunc primum Evangelium recipiunt, quidquid honestum est, nec indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque adstipulatur, benevole perpendatur ac, si fieri potest, sartum tectumque servetur, immo in ipsam etiam Liturgiam admittatur, dummodo cum rationibus veri et authentici spiritus liturgici congruat.[42]

44. In populis apud quos cæremoniæ Matrimonii ex consuetudine in domibus habentur, etiam per plures dies, oportet illas ad spiritum christianum ac Liturgiam aptare. Quo in casu, potest Conferentia Episcoporum, iuxta necessitates pastorales populorum, statuere ut ipse ritus Sacramenti in domibus celebrari possit.

[39] Cf. Conc. Vat. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 77.
[40] Cf. *ibid.,* n. 78.
[41] Cf. *ibid.,* n. 63b.
[42] Cf. *ibid.,* n. 37.

CAPUT I

ORDO CELEBRANDI MATRIMONIUM INTRA MISSAM

Ritus initiales

Modus prior

45. Statuto tempore, sacerdos, alba, stola atque casula indutus coloris Missæ quæ celebratur, una cum ministrantibus, accedit ad ianuam ecclesiæ, nupturientes recipit, eosque humaniter salutat, significans Ecclesiam in eorum gaudio partem habere.

46. Deinde fit processio ad altare: præcedunt ministrantes, sequitur sacerdos, deinde nupturientes, quos iuxta consuetudines locorum saltem parentes et duo testes honorifice comitari possunt ad locum ipsis præparatum. Interim fit cantus ad introitum.

47. Sacerdos ad altare accedit, ipsumque salutat profunda inclinatione et osculo veneratur. Postea sedem petit.

Modus alter

48. Statuto tempore, sacerdos, alba, stola atque casula indutus coloris Missæ quæ celebratur, una cum ministrantibus, accedit ad locum nupturientibus præparatum vel ad sedem suam.

49. Cum nupturientes ad locum suum pervenerint, sacerdos eos recipit et humaniter salutat, significans Ecclesiam in eorum gaudio partem habere.

50. Deinde, dum fit cantus ad introitum, ad altare accedit, ipsumque salutat profunda inclinatione et osculo veneratur. Postea sedem petit.

---

51. Tunc, facto signo crucis, adstantes salutat, unam adhibens formulam ex his quæ in Missali Romano proponuntur.

52. Deinde nupturientes et adstantes alloquitur, ut eorum animos ad Matrimonium celebrandum disponat, his vel similibus verbis:

Ad hanc celebratiónem peragéndam, fratres caríssimi,
in domum Dómini exsultántes convénimus,
N. et N. circumstántes
in die qua domum suam cóndere inténdunt.
Illis vero hora hæc singuláris est moménti.
Quaprópter ánimi afféctu nostráque amicítia
necnon oratióne fratérna eis assistámus.
Verbum quod Deus nobis hódie lóquitur
una cum eis atténte audiámus.
Deínde cum Ecclésia sancta,
per Christum Dóminum nostrum,
Deum Patrem supplíciter deprecémur,
ut hos fámulos suos nupturiéntes
benígnus suscípiat, benedícat unúmque semper fáciat.

53. Vel:

N. et N., Ecclésia in vestro gáudio partem habet
et magno corde vos récipit,
una cum paréntibus et amícis vestris,
in die qua coram Deo Patre nostro
totíus vitæ consórtium inter vos constitúitis.
Exáudiat vos Dóminus in die lætítiæ vestræ.
Mittat vobis auxílium de cælo et tueátur vos.
Tríbuat vobis secúndum cor vestrum
et ímpleat omnes petitiónes vestras.

Omittitur actus pænitentialis.

54. Diebus quibus Missæ rituales permittuntur, adhibetur Missa « pro sponsis », cum lectionibus propriis.

Occurrentibus vero diebus, qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur, adhibetur Missa de die, retentis in ea benedictione nuptiali atque, pro opportunitate, formula benedictionis finalis propria.

Si tamen Missa, in qua fit ritus Matrimonii, die dominica celebratur et a communitate parœciali participatur, dicitur Missa de die, etiam dominicis temporis Nativitatis et « per annum ».

Liturgia verbi

55. Liturgia verbi peragitur more consueto. Tres lectiones haberi possunt, quarum prima sit e Vetere Testamento, tempore autem paschali ex Apocalypsi (nn. 179-222). Semper eligatur saltem una lectio quæ explicite de Matrimonio loquitur.

56. Quando Missa ritualis non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro eadem Missa proponuntur, nisi occurrat dies qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensentur.

Hic proponuntur lectiones quæ momentum et dignitatem Matrimonii in mysterio salutis peculiariter exprimunt.

LECTIO PRIMA

Masculum et feminam creavit eos

Léctio libri Génesis 1, 26-28. 31a

Ait Deus: « Faciámus hóminem ad imáginem et similitúdinem nostram; et præsint píscibus maris et volatílibus cæli et béstiis universǽque terræ omníque réptili, quod movétur in terra ».

Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam; ad imáginem Dei creávit illum; másculum et féminam creávit eos.

Benedixítque illis Deus et ait illis Deus: « Créscite et multiplicámini et repléte terram et subícite eam et domináminí píscibus maris et volatílibus cæli et univérsis animántibus, quæ movéntur super terram ».

Vidítque Deus cuncta, quæ fecit, et ecce erant valde bona.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 127(128), 1-2. 3. 4-5ac et 6a (℟. 4)

℟. Ecce sic benedicétur, qui timet Dóminum.

1 Beátus omnis, qui timet Dóminum,
qui ámbulat in viis eius.

2 Labóres mánuum tuárum manducábis,
beátus es, et bene tibi erit. ℟.

3 Uxor tua sicut vitis fructífera
in latéribus domus tuæ;
fílii tui sicut novéllæ olivárum
in circúitu mensæ tuæ. ℟.

4 Ecce sic benedicétur homo,
qui timet Dóminum.
5ac Benedícat tibi Dóminus ex Sion,
ómnibus diébus vitæ tuæ;
6a et vídeas fílios filiórum tuórum. ℟.

Lectio secunda

Mysterium hoc magnum est;
ego autem dico de Christo et Ecclesia!

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Ephésios 5, 2a. 25-32

Fratres:

Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos et trádidit seípsum pro nobis.

Viri, dilígite uxóres, sicut et Christus diléxit Ecclésiam et seípsum trádidit pro ea, ut illam sanctificáret mundans lavácro aquæ in verbo, ut exhibéret ipse sibi gloriósam Ecclésiam non habéntem máculam aut rugam aut áliquid eiúsmodi, sed ut sit sancta et immaculáta.

Ita et viri debent dilígere uxóres suas ut córpora sua. Qui suam uxórem díligit, seípsum díligit; nemo enim umquam carnem suam ódio hábuit, sed nutrit et fovet eam sicut et Christus Ecclésiam, quia membra sumus córporis eius.

« Propter hoc relínquet homo patrem et matrem et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una ».

Mystérium hoc magnum est; ego autem dico de Christo et Ecclésia!

Verbum Dómini.

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM cf. Ps 133(134), 3

℟. Allelúia.

℣. Benedícat vobis Dóminus ex Sion,
qui fecit cælum et terram.

℟. Allelúia.

Vel, tempore Quadragesimæ: cf. 1 Io 4, 16b.12.11

℟. Exsultáte Deo adiutóri nostro.

℣. Deus cáritas est,
diligámus nos ínvicem,
sicut diléxit nos.

℟. Exsultáte Deo adiutóri nostro.

EVANGELIUM

Quod Deus coniunxit, homo non separet

✠ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum 19, 3-6

In illo témpore:

Accessérunt ad Iesum pharisǽi tentántes eum et dicéntes: « Licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? ».

Qui respóndens ait: « Non legístis quia, qui creávit ab inítio, "másculum et féminam fecit eos" et dixit: "Propter hoc

dimíttet homo patrem et matrem et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una?” Itaque iam non sunt duo sed una caro.

Quod ergo Deus coniúnxit, homo non séparet ».

Verbum Dómini.

57. Post lectionem Evangelii, sacerdos in homilia e textu sacro exponit mysterium Matrimonii christiani, dignitatem amoris coniugalis, gratiam sacramenti et munera coniugum, attendendo tamen ad diversa personarum adiuncta.

Celebratio Matrimonii

58. Si duo vel plura Matrimonia simul celebrari contingat, semper tum interrogationes ante consensum, tum consensus ipse, tum etiam consensus receptio singulariter fiant pro singulis Matrimoniis; reliqua vero, ipsa benedictione nuptiali haud exclusa, semel pro cunctis plurali numero proferantur.

59. Omnibus stantibus, etiam nupturientibus, testibus hinc inde dispositis, sacerdos, his vel similibus verbis, nupturientes alloquitur:

Dilectíssimi nobis,
in domum ecclésiæ convenístis,
ut volúntas vestra Matrimónium contrahéndi
coram Ecclésiæ minístro et communitáte
sacro sigíllo a Dómino muniátur.
Amórem vestrum coniugálem
Christus abúnde benedícit
et ad mútuam perpetuámque fidelitátem
et ad cétera Matrimónii offícia assuménda
eos peculiári ditat et róborat Sacraménto,
quos ipse sancto iam Baptísmate consecrávit.
Quare vos coram Ecclésia de mente vestra intérrogo.

Interrogationes ante consensum

60. Tunc sacerdos eos interrogat de libertate, de fidelitate et de suscipienda et educanda prole atque singuli respondent.

N. et N., venistísne huc sine coactióne, sed líbero et pleno corde ad Matrimónium contrahéndum?

Estísne paráti, Matrimónii viam sequéntes, ad vos mútuo diligéndos et honorándos, totíus vitæ decúrsu?

Interrogatio sequens omitti potest si adiuncta hoc innuunt, ex. gr. si nupturientes sunt ætatis provectæ.

Estísne paráti ad prolem amánter a Deo suscipiéndam, et ad eam secúndum legem Christi eiúsque Ecclésiæ educándam?

Consensus

61. Sacerdos eos invitat ut consensum exprimant:

Cum ígitur sancti Matrimónii fœdus iníre intendátis, déxteras iúngite et coram Deo eiúsque Ecclésia consénsum vestrum exprímite.

Dexteras iungunt.

62. Vir dicit:

Ego N. accípio te N. in uxórem meam et promítto me tibi fidem servatúrum, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut te díligam et honórem ómnibus diébus vitæ meæ.

Mulier dicit:

Ego N. accípio te N. in marítum meum et promítto me tibi fidem servatúram, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut te díligam et honórem ómnibus diébus vitæ meæ.

63. Si tamen, ex ratione pastorali, hoc opportunius videbitur, sacerdos contrahentium consensum per interrogationem requirere potest.

Et primo quidem virum interrogat:

N., vis accípere N. in uxórem tuam et promíttis te illi fidem servatúrum, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut eam díligas et honóres ómnibus diébus vitæ tuæ?

Respondet vir:

Volo.

Mox sacerdos mulierem interrogat:

N., vis accípere N. in marítum tuum et promíttis te illi fidem servatúram, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut eum díligas et honóres ómnibus diébus vitæ tuæ?

Respondet mulier:

Volo.

Receptio consensus

64. Deinde sacerdos excipiens consensum dicit sponsis:

Hunc vestrum conséNsum,
quem coram Ecclésia manifestástis,
Dóminus benígne confírmet
et benedictiónem suam in vobis implére dignétur.
Quod Deus coniúngit, homo non séparet.

Vel:

Hunc vestrum conséNsum,
quem coram Ecclésia manifestástis,
Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob,
Deus qui protoplástos coniúnxit in paradíso,

in Christo confírmet ac benedícat,
ut quod ipse coniúngit, homo non séparet.

65. Sacerdos ad Dei laudem adstantes invitat:

Benedicámus Dómino.

Omnes respondent:

Deo grátias.

Alia acclamatio proferri potest.

Benedictio et traditio anulorum

66. Sacerdos dicit:

Benedícat ✠ Dóminus hos ánulos,
quos alter álteri traditúri estis
in signum amóris et fidelitátis.

℟. Amen.

Aliæ formulæ benedictionis anulorum, nn. 229-230.

Pro opportunitate, anulos aspergit et tradit sponsis.

67. Sponsus anulum, sponsæ destinatum, digito anulari sponsæ inserit, pro opportunitate dicens:

N., áccipe hunc ánulum
in signum amóris mei et fidelitátis meæ.
In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Item sponsa anulum, sponso destinatum, digito anulari sponsi inserit, pro opportunitate dicens:

N., áccipe hunc ánulum
in signum amóris mei et fidelitátis meæ.
In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

68. Tunc a tota communitate proferri potest hymnus vel canticum laudis.

Oratio universalis

69. Deinde fit, more consueto, oratio universalis (cuius specimina proponuntur in nn. 251-252).

Dicitur postea Symbolum, si ex rubricis dicendum sit.

Liturgia eucharistica

70. In præparatione donorum, sponsus et sponsa panem et vinum ad altare, pro opportunitate, deferre possunt.

71. In Prece eucharistica fit commemoratio sponsorum, adhibita formula, quæ in nn. 237-239 proponitur.

Benedictio nuptialis


72. Dicto Pater et omisso Líbera nos, sacerdos, stans ad sponsam et sponsum conversus, super eos Dei benedictionem invocat, quod numquam omittitur.


In invitatorio, si unus ex sponsis vel ambo non communicant, verba uncis inclusa omittuntur.

In ultima paragrapho orationis, verba uncis inclusa omitti possunt, sicubi rerum adiuncta id suadere videantur, ex. gr. si sponsi sint ætatis provectæ.

73. Sponsi accedunt ad altare vel, pro opportunitate, in loco suo permanent et genuflectunt.

Sacerdos, manibus iunctis, adstantes invitat ad orandum:







Dóminum, fratres caríssimi, supplíciter deprecémur,
ut super hos fámulos suos, qui nupsérunt in Christo,
benedictiónem grátiæ suæ cleménter effúndat,
et quos fœdere sancto coniúnxit
(Christi Córporis et Sánguinis sacraménto)
una fáciat caritáte concórdes.


Aliæ formulæ, nn. 104. 241. 243.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.


74. Deinde sacerdos, manibus extensis super sponsos, prosequitur:




lí- e- ris adiutó- ri- um condi-dísti, ut iam non du- o es-
sent, sed una ca-ro, do-cens quod unum placu- ísset instí-
tu- i numquam li-cé- re dis-iúngi;
De- us, qui tam excellénti mysté- ri- o con- iugá-lem cópu-
lam consecrásti, ut Christi et Ecclé- si- æ sacraméntum
præ-signáres in fœde- re nupti- á-rum;
De- us, per quem mú- li- er iúngi-tur vi-ro, et so-cí- e- tas,
princi-pá- li- ter ordi-ná-ta, e- a be-ne-dicti- ó-ne do-ná-tur,


quæ so- la nec per o-ri- giná- lis peccá- ti pœnam nec per di-
lú-vi- i est ablá- ta senténti- am.
Réspi-ce pro-pí- ti- us super hos fámu-los tu- os, qui, ma-ri-
tá- li iuncti consórti- o, tu- a se éxpe-tunt benedicti- ó-
ne muní- ri: emítte super e- os Spí- ri-tus Sancti grá- ti-
am, ut, ca- ri-tá- te tu- a in córdi-bus e- ó-rum diffú-sa,
in con-iugá- li fœde-re fi-dé-les permáne- ant.
Sit in fámu-la tu- a N. grá- ti- a di- lecti- ó-nis et pa-cis,


imi- tatríxque sanctá-rum remá-ne- at femi-ná-rum, quarum
in Scriptú-ris laudes prædi-cántur.
Confí-dat in e- a cor vi-ri su- i, qui, pa-rem só-ci- am et
grá- ti- æ vi-tæ cohe-rédem agnóscens, e- am honó-re dé-bi-
to prosequátur e- óque dí- li-gat semper amóre, quo Chri-
stus su- am di-lé-xit Ecclé- si- am.
Et nunc te, Dómine, depre-cámur, ut hi fámu- li tu- i
ne-xi fíde- i manda- tísque permáne- ant, et, u-ni thoro


iuncti, morum sint integri-tá-te conspí-cu- i; Evangé-li- i
róbo-re communí- ti, bonum Christi testimóni- um ómni-
bus ma-ni- féstent; (in sóbo-le sint fecúndi, sint pa-réntes
virtú- tibus compro-bá-ti; víde- ant ambo fí- li- os fi- li- ó-
rum su- órum) et, optá-tam demum senectú- tem adépti,
ad be- a-tó-rum vi- tam et ad cæ-lésti- a regna pervé-ni-
ant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deus, qui potestáte virtútis tuæ de níhilo cuncta fecísti,
qui dispósitis universitátis exórdiis
et hómine ad imáginem tuam facto,
inseparábile viro mulíeris adiutórium condidísti,
ut iam non duo essent, sed una caro,
docens quod unum placuísset instítui
numquam licére disiúngi;

Deus, qui tam excellénti mystério
coniugálem cópulam consecrásti,
ut Christi et Ecclésiæ sacraméntum
præsignáres in fœdere nuptiárum;

Deus, per quem múlier iúngitur viro,
et socíetas, principáliter ordináta,
ea benedictióne donátur,
quæ sola nec per originális peccáti pœnam
nec per dilúvii est abláta senténtiam.

Réspice propítius super hos fámulos tuos,
qui, maritáli iuncti consórtio,
tua se éxpetunt benedictióne muníri:
emítte super eos Spíritus Sancti grátiam,
ut, caritáte tua in córdibus eórum diffúsa,
in coniugáli fœdere fidéles permáneant.

Sit in fámula tua N. grátia dilectiónis et pacis,
imitatríxque sanctárum remáneat feminárum,
quarum in Scriptúris laudes prædicántur.

Confídat in ea cor viri sui,
qui, parem sóciam et grátiæ vitæ coherédem agnóscens,
eam honóre débito prosequátur
eóque díligat semper amóre,
quo Christus suam diléxit Ecclésiam.

Et nunc te, Dómine, deprecámur,
ut hi fámuli tui nexi fídei mandatísque permáneant,
et, uni thoro iuncti,
morum sint integritáte conspícui;
Evangélii róbore communíti,
bonum Christi testimónium ómnibus maniféstent;
(in sóbole sint fecúndi,
sint paréntes virtútibus comprobáti;
vídeant ambo fílios filiórum suórum)
et, optátam demum senectútem adépti,
ad beatórum vitam et ad cæléstia regna pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Aliæ formulæ benedictionis nuptialis, nn. 242. 244.

75. Omissa oratione Dómine Iesu Christe, statim dicitur Pax Dómini. Tunc sponsi et omnes pacem et caritatem sibi invicem significant.

76. Sponsi eorumque parentes, testes et propinqui Communionem sub utraque specie recipere possunt.

Conclusio celebrationis

77. In fine Missæ, sacerdos benedicit sponsos et populum dicens:

Deus Pater ætérnus
in mútuo vos servet amóre concórdes,
ut pax Christi hábitet in vobis,
et in domo vestra iúgiter máneat.

℟. Amen.

Benedictiónem habeátis in fíliis,
ab amícis solátium,
et veram cum ómnibus pacem.

℟. Amen.

Caritátis Dei testes sitis in mundo,
ut, quos afflícti et egéni benígnos invénerint,
in ætérna Dei tabernácula vos grati aliquándo recípiant.

℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

Aliæ formulæ, nn. 249-250.

78. Missa peracta, testes et sacerdos actum Matrimonii subscribunt. Subscriptio fieri potest vel in secretario vel coram populo; ne tamen fiat super altare.

CAPUT II

ORDO CELEBRANDI MATRIMONIUM SINE MISSA

79. Quando Missa ex necessitate vel pro opportunitate non celebratur, ordo hic descriptus adhibetur, etiam a diacono.[1]

Ritus initiales

Modus prior

80. Statuto tempore, sacerdos, indutus alba, vel superpelliceo, et stola alba vel festiva, vel etiam pluviali (aut dalmatica pro diacono) eiusdem coloris, comitantibus ministrantibus, accedit ad ianuam ecclesiæ, nupturientes recipit eosque humaniter salutat, significans Ecclesiam in eorum gaudio partem habere.

81. Deinde fit processio ad altare: præcedunt ministrantes, sequitur minister, deinde nupturientes, quos iuxta consuetudines locorum saltem parentes et duo testes honorifice comitari possunt ad locum ipsis præparatum. Interim fit cantus ad introitum.

82. Minister ad altare accedit, ipsumque salutat profunda inclinatione et osculo veneratur. Postea sedem petit.

Modus alter

83. Statuto tempore, sacerdos, indutus alba, vel superpelliceo, et stola alba vel festiva, vel etiam pluviali (aut dalmatica pro diacono) eiusdem coloris, comitantibus ministrantibus, accedit ad locum nupturientibus præparatum.

[1] *Prænot.*, n. 24.

84. Cum nupturientes ad locum suum pervenerint, minister eos recipit et humaniter salutat, significans Ecclesiam in eorum gaudio partem habere.

85. Deinde minister altare salutat profunda inclinatione et sedem petit.

---

86. Tunc, facto signo crucis, adstantes salutat, dicens:

Grátia vobis et pax a Deo Patre
et a Dómino nostro Iesu Christo.

Vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

Vel:

Benedíctus Deus in sǽcula.

Vel alio apto modo.

87. Deinde nupturientes et adstantes alloquitur, ut eorum animos ad Matrimonium celebrandum disponat, his vel similibus verbis:

Ad hanc celebratiónem peragéndam, fratres caríssimi,
in domum Dómini exsultántes convénimus,
N. et N. circumstántes
in die qua domum suam cóndere inténdunt.
Illis vero hora hæc singuláris est moménti.
Quaprópter ánimi afféctu nostráque amicítia
necnon oratióne fratérna eis assistámus.
Verbum quod Deus nobis hódie lóquitur
una cum eis atténte audiámus.
Deínde cum Ecclésia sancta,
per Christum Dóminum nostrum,
Deum Patrem supplíciter deprecémur,
ut hos fámulos suos nupturiéntes
benígnus suscípiat, benedícat unúmque semper fáciat.

88. Vel:

N. et N., Ecclésia in vestro gáudio partem habet
et magno corde vos récipit,
una cum paréntibus et amícis vestris,
in die qua coram Deo Patre nostro
totíus vitæ consórtium inter vos constitúitis.
Exáudiat vos Dóminus in die lætítiæ vestræ.
Mittat vobis auxílium de cælo et tueátur vos.
Tríbuat vobis secúndum cor vestrum
et ímpleat omnes petitiónes vestras.

89. Deinde, manibus extensis, hanc orationem profert:

Adesto, Domine, supplicatiónibus nostris,
et super hos fámulos tuos (N. et N.)
grátiam tuam benígnus effúnde,
ut qui apud tua coniungúntur altária
in mútua caritáte firméntur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Aliæ orationes, nn. 223. 224. 226. 227. 228.

Liturgia verbi

90. Sequitur liturgia verbi, more consueto, textibus assumptis qui supra in n. 56 proponuntur vel aliis e lectionibus, quæ infra indicantur (nn. 179-222).

Semper eligatur saltem una lectio quæ explicite de Matrimonio loquitur.

91. Deinde minister in homilia e textu sacro exponit mysterium Matrimonii christiani, dignitatem amoris coniugalis, gratiam sacramenti et munera coniugum, attendendo tamen ad diversa personarum adiuncta.

Celebratio Matrimonii

92. Si duo vel plura Matrimonia simul celebrari contingat, semper tum interrogationes ante consensum, tum consensus ipse, tum etiam consensus receptio singulariter fiant pro singulis Matrimoniis; reliqua vero, ipsa benedictione nuptiali haud exclusa, semel pro cunctis plurali numero proferantur.

93. Omnibus stantibus, etiam nupturientibus, testibus hinc inde dispositis, minister, his vel similibus verbis, nupturientes alloquitur:

Dilectíssimi nobis, in domum ecclésiæ convenístis,
ut volúntas vestra Matrimónium contrahéndi
coram Ecclésiæ minístro et communitáte
sacro sigíllo a Dómino muniátur.
Amórem vestrum coniugálem Christus abúnde benedícit
et ad mútuam perpetuámque fidelitátem
et ad cétera Matrimónii offícia assuménda
eos peculiári ditat et róborat Sacraménto,
quos ipse sancto iam Baptísmate consecrávit.
Quare vos coram Ecclésia de mente vestra intérrogo.

Interrogationes ante consensum

94. Tunc minister eos interrogat de libertate, de fidelitate et de suscipienda et educanda prole atque singuli respondent.

N. et N., venistísne huc sine coactióne, sed líbero et pleno corde ad Matrimónium contrahéndum?

Estísne paráti, Matrimónii viam sequéntes, ad vos mútuo diligéndos et honorándos, totíus vitæ decúrsu?

Interrogatio sequens omitti potest si adiuncta hoc innuunt, ex. gr. si nupturientes sunt ætatis provectæ.

Estísne paráti ad prolem amánter a Deo suscipiéndam, et ad eam secúndum legem Christi eiúsque Ecclésiæ educándam?

Consensus

95. Minister eos invitat ut consensum exprimant:

Cum ígitur sancti Matrimónii fœdus iníre intendátis, déxteras iúngite et coram Deo eiúsque Ecclésia consénsum vestrum exprímite.

Dexteras iungunt.

96. Vir dicit:

Ego N. accípio te N. in uxórem meam et promítto me tibi fidem servatúrum, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut te díligam et honórem ómnibus diébus vitæ meæ.

Mulier dicit:

Ego N. accípio te N. in marítum meum et promítto me tibi fidem servatúram, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut te díligam et honórem ómnibus diébus vitæ meæ.

---

97. Si tamen, ex ratione pastorali, hoc opportunius videbitur, minister contrahentium consensum per interrogationem requirere potest.

Et primo quidem virum interrogat:

N., vis accípere N. in uxórem tuam et promíttis te illi fidem servatúrum, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut eam díligas et honóres ómnibus diébus vitæ tuæ?

Respondet vir:

Volo.

Mox minister mulierem interrogat:

N., vis accípere N. in marítum tuum et promíttis te illi fidem servatúram, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut eum díligas et honóres ómnibus diébus vitæ tuæ?

Respondet mulier:

Volo.

Receptio consensus

98. Deinde minister excipiens consensum dicit sponsis:

Hunc vestrum consénsum,
quem coram Ecclésia manifestástis,
Dóminus benígne confírmet
et benedictiónem suam in vobis implére dignétur.
Quod Deus coniúngit, homo non séparet.

Vel:

Hunc vestrum consénsum,
quem coram Ecclésia manifestástis,
Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob,
Deus qui protoplástos coniúnxit in paradíso,
in Christo confírmet ac benedícat,
ut quod ipse coniúngit, homo non séparet.

99. Minister ad Dei laudem adstantes invitat:

Benedicámus Dómino.

Omnes respondent:

Deo grátias.

Alia acclamatio proferri potest.

Benedictio et traditio anulorum

100. Minister dicit:

Benedícat ✠ Dóminus hos ánulos,
quos alter álteri traditúri estis
in signum amóris et fidelitátis.
℟. Amen.

Aliæ formulæ benedictionis anulorum, nn. 229-230.

Pro opportunitate, anulos aspergit et tradit sponsis.

101. Sponsus anulum, sponsæ destinatum, digito anulari sponsæ inserit, pro opportunitate dicens:

N., áccipe hunc ánulum
in signum amóris mei et fidelitátis meæ.
In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Item sponsa anulum, sponso destinatum, digito anulari sponsi inserit, pro opportunitate dicens:

N., áccipe hunc ánulum
in signum amóris mei et fidelitátis meæ.
In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

102. Tunc a tota communitate proferri potest hymnus vel canticum laudis.

Oratio universalis

103. Deinde fit oratio universalis (cuius specimina proponuntur in nn. 251-252):

a) primo minister ad precandum invitat;

b) sequuntur invocationes orationis universalis cum responsione fidelium, ita tamen ut singulæ invocationes congruant cum benedictione nuptiali, nec illam reduplicent;

c) si sacra Communio distribui non debet, sequitur Oratio dominica;


d) deinde, omissa oratione conclusiva, minister invocat Dei benedictionem super sponsam et sponsum, quod numquam omittitur.

Benedictio nuptialis


104. Sponsi in loco suo permanent et genuflectunt.

Tunc minister prosequitur, manibus iunctis:





invo-cémus, ut ipse su- o fóve- at benígnus. auxí-li- o



quos di- tá-vit connú-bi- i sacraménto.


Nunc super hos sponsos
Dei benedictiónem súpplices invocémus,
ut ipse suo fóveat benígnus auxílio
quos ditávit connúbii sacraménto.

Aliæ formulæ, nn. 73. 241.


Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

105. Deinde minister, stans ad sponsos conversus et manibus extensis super eos, profert orationem sequentem.


In ultima paragrapho orationis, verba uncis inclusa omitti possunt, sicubi rerum adiuncta id suadere videantur, ex. gr. si sponsi sint ætatis provectæ.




De- us, qui po-testá-te virtú- tis tu- æ de ní- hi-lo cuncta fe-




císti, qui dispó-si- tis uni-versi- tá- tis ex-órdi- is et hómi-




ne ad imá-gi-nem tu- am facto, inse-pa-rá-bi- le vi-ro mu-


lí- e-ris adiutó-ri- um condi-dísti, ut iam non du- o es-
sent, sed una ca-ro, do-cens quod unum placu- ísset instí-
tu- i numquam li-cé-re dis-iúngi;
De- us, qui tam excellénti mysté-ri- o con-iugá-lem cópu-
lam consecrásti, ut Christi et Ecclé-si- æ sacraméntum
præ-signáres in fœde-re nupti- á-rum;
De- us, per quem mú-li- er iúngi-tur vi-ro, et so-cí- e-tas,
princi-pá- li-ter ordi-ná-ta, e- a be-ne-dicti- ó-ne do-ná-tur,


quæ so- la nec per o-ri- giná- lis peccá- ti pœnam nec per di-
lú-vi- i est ablá- ta senténti- am.
Réspi-ce pro-pí- ti- us super hos fámu-los tu- os, qui, ma-ri-
tá- li iuncti consórti- o, tu- a se éxpe-tunt benedicti- ó-
ne muní- ri: emítte super e- os Spí- ri-tus Sancti grá- ti-
am, ut, ca- ri-tá- te tu- a in córdi-bus e- ó-rum diffú-sa,
in con-iugá- li fœde- re fi-dé-les permáne- ant.
Sit in fámu-la tu- a N. grá- ti- a di- lecti- ó-nis et pa-cis,


imi- tatríxque sanctá-rum remá-ne- at femi-ná-rum, quarum
in Scriptú-ris laudes prædi-cántur.
Confí-dat in e- a cor vi-ri su- i, qui, pa-rem só-ci- am et
grá-ti- æ vi-tæ cohe-rédem agnóscens, e- am honó-re dé-bi-
to prosequátur e- óque dí-li-gat semper amóre, quo Chri-
stus su- am di-lé-xit Ecclé- si- am.
Et nunc te, Dómine, depre-cámur, ut hi fámu- li tu- i
ne-xi fíde- i manda- tísque permáne- ant, et, u-ni tho-ro


iuncti, morum sint integri-tá-te conspí-cu- i; Evangé-li- i
róbo-re communí-ti, bonum Christi testimóni- um ómni-
bus ma-ni-féstent; (in sóbo-le sint fecúndi, sint pa-réntes
virtú-tibus compro-bá-ti; víde- ant ambo fí- li- os fi- li- ó-
rum su- órum) et, optá-tam demum senectú- tem adépti,
ad be- a-tó-rum vi- tam et ad cæ-lésti- a regna pervé-ni-
ant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deus, qui potestáte virtútis tuæ de níhilo cuncta fecísti,
qui dispósitis universitátis exórdiis
et hómine ad imáginem tuam facto,
inseparábile viro mulíeris adiutórium condidísti,
ut iam non duo essent, sed una caro,
docens quod unum placuísset institui
numquam licére disiúngi;

Deus, qui tam excellénti mystério
coniugálem cópulam consecrásti,
ut Christi et Ecclésiæ sacraméntum
præsignáres in fœdere nuptiárum;

Deus, per quem múlier iúngitur viro,
et socíetas, principáliter ordináta,
ea benedictióne donátur,
quæ sola nec per originális peccáti pœnam
nec per dilúvii est abláta senténtiam.

Réspice propítius super hos fámulos tuos,
qui, maritáli iuncti consórtio,
tua se éxpetunt benedictióne muníri:
emítte super eos Spíritus Sancti grátiam,
ut, caritáte tua in córdibus eórum diffúsa,
in coniugáli fœdere fidéles permáneant.

Sit in fámula tua N. grátia dilectiónis et pacis,
imitatríxque sanctárum remáneat feminárum,
quarum in Scriptúris laudes prædicántur.

Confídat in ea cor viri sui,
qui, parem sóciam et grátiæ vitæ coherédem agnóscens,
eam honóre débito prosequátur
eóque díligat semper amóre,
quo Christus suam diléxit Ecclésiam.

Et nunc te, Dómine, deprecámur,
ut hi fámuli tui nexi fídei mandatísque permáneant,
et, uni thoro iuncti,
morum sint integritáte conspícui;
Evangélii róbore communíti,
bonum Christi testimónium ómnibus maniféstent;
(in sóbole sint fecúndi,
sint paréntes virtútibus compróbati;
vídeant ambo fílios filiórum suórum)
et, optátam demum senectútem adépti,
ad beatórum vitam et ad cæléstia regna pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Aliæ formulæ benedictionis nuptialis, nn. 242. 244.

---

106. Deinde, si sacra Communio distribui non debet, statim minister benedicit populum, dicens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

107. Celebratio laudabiliter cantu apto perficitur.

Sacra Communio

108. Si sacra Communio distribui debet, expleta benedictione nuptiali, minister accedit ad locum ubi Eucharistia asservatur, accipit vasculum vel pyxidem cum Corpore Domini, illud super altare deponit et genuflectit.

109. Deinde Orationem dominicam, his vel similibus verbis, introducit:

Præcéptis salutáribus móniti,
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:

Et omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

110. Postea minister, pro opportunitate, his vel similibus verbis fideles invitat:

Offérte vobis pacem.

Tunc sponsi et omnes pacem et caritatem sibi invicem significant.

111. His peractis, minister genuflectit, accipit hostiam, eamque parum elevatam super vasculum vel pyxidem tenens, ad communicandos versus, dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Et communicandi subdunt:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

112. Postea accedit ad communicandos, et hostiam parum elevatam unicuique eorum ostendit, dicens:

Corpus Christi.

Communicandus respondet:

Amen.

Et communicatur.

113. Dum fit distributio Communionis, cantus aptus, pro opportunitate, proferri potest.

114. Distributione Communionis expleta, pro opportunitate, sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari vel psalmus aut canticum laudis proferri potest.

115. Deinde minister dicit hanc orationem:

Orémus.

Mensæ tuæ partícipes effécti,
quǽsumus, Dómine;
ut, qui nuptiárum iungúntur sacraménto,
tibi semper adhǽreant,
et tuum homínibus nomen annúntient.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Conclusio celebrationis

116. Ritus concluditur benedictione sponsorum et populi, sive cum forma simplici Benedícat vos, sive cum una ex formulis, quæ infra habentur, nn. 248-250.

117. Celebratione peracta, testes et minister actum Matrimonii subscribunt. Subscriptio fieri potest vel in secretario vel coram populo; ne tamen fiat super altare.

CAPUT III

ORDO CELEBRANDI MATRIMONIUM CORAM ASSISTENTE LAICO

118. Quando Matrimonium, iuxta normam de qua in n. 25, celebratur coram assistente laico, ordo hic descriptus adhibetur.

119. Laicus, qui ab Episcopo diœcesano facultatem habet officio fungendi assistentis in celebratione Matrimonii, tum de nupturientium institutione catechetica tum de eorum spirituali præparatione sollicitus sit. Eius est omnia ordinare sive ad præcepta iuris quod spectat, sive ad ritus, preces, lectiones, communitatis participationem quod attinet, ita ut ritus sacramenti Matrimonii recte, conscie et fructuose peragatur.

Laicus assistens non solum recipiendi consensum contrahentium munere fungit, sed totam celebrationem Matrimonii moderatur.

120. Ritus de more in ecclesia fit.

Assistens assumat vestem quæ hoc ministerium non dedeceat, aut ab Episcopo probatam.

Ritus initiales

121. Populo congregato et omnibus dispositis, assistens, comitantibus ministrantibus, nupturientes recipit eosque humaniter salutat.

122. Deinde, manibus iunctis, dicit:

Benedíctus Deus, Pater totíus consolatiónis,
qui fecit nobíscum misericórdiam suam.

Omnes respondent:

Amen.

Vel:

Benedíctus Deus in sǽcula.

Vel alio apto modo.

123. Tum assistens eos alloquitur, ut eorum animos ad Matrimonium celebrandum disponat, his vel similibus verbis:

Ad hanc celebratiónem peragéndam, fratres caríssimi,
in domum Dómini exsultántes convénimus,
N. et N. circumstántes
in die qua domum suam cóndere inténdunt.
Illis vero hora hæc singuláris est moménti.
Quaprópter ánimi afféctu nostráque amicítia
necnon oratióne fratérna eis assistámus.
Verbum quod Deus nobis hódie lóquitur
una cum eis atténte audiámus.
Deínde cum Ecclésia sancta,
per Christum Dóminum nostrum,
Deum Patrem supplíciter deprecémur,
ut hos fámulos suos nupturiéntes
benígnus suscípiat, benedícat
unúmque semper fáciat.

124. Vel:

N. et N., Ecclésia in vestro gáudio partem habet
et magno corde vos récipit,
una cum paréntibus et amícis vestris,
in die qua coram Deo Patre nostro
totíus vitæ consórtium inter vos constitúitis.
Exáudiat vos Dóminus in die lætítiæ vestræ.
Mittat vobis auxílium de cælo et tueátur vos.
Tríbuat vobis secúndum cor vestrum
et ímpleat omnes petitiónes vestras.

Liturgia verbi

125. Deinde lector vel unus ex adstantibus vel ipse assistens legit textum ex his qui supra in n. 56 proponuntur vel alium e lectionibus quæ infra indicantur (nn. 179-222). Fieri possunt una vel duo lectiones, prout opportunum visum fuerit. Semper eligatur saltem una lectio quæ explicite de Matrimonio loquitur.

Lectio evangelica sic introducitur:

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum N.

Convenit ut assistens adhortationem tradat aut homiliam legat ab Episcopo vel parocho significatam.

Celebratio Matrimonii

126. Si duo vel plura Matrimonia simul celebrari contingat, semper tum interrogationes ante consensum, tum consensus ipse, tum etiam consensus receptio singulariter fiant pro singulis Matrimoniis; reliqua vero, ipsa benedictione nuptiali haud exclusa, semel pro cunctis plurali numero proferantur.

127. Adhortatione expleta, omnibus stantibus, etiam nupturientibus, testibus hinc inde dispositis, assistens nupturientes alloquitur:

Caríssimi (vel N. et N.), huc conveinístis,
ut volúntas vestra Matrimónium contrahéndi coram me,
qui ad hoc assisténdum ab Epíscopo nostro sum delegátus,
et coram Ecclésiæ communitáte
sacro sigíllo a Dómino muniátur.
Amórem vestrum coniugálem Christus abúnde benedícit
et ad mútuam perpetuámque fidelitátem
et ad cétera Matrimónii offícia assuménda
eos peculiári ditat et róborat Sacraménto,
quos ipse sancto iam Baptísmate consecrávit.
Quare vos coram Ecclésia de mente vestra intérrogo.

Interrogationes ante consensum

128. Tunc assistens eos interrogat de libertate, de fidelitate et de suscipienda et educanda prole atque singuli respondent:

N. et N., verbum Dei mystérium Matrimónii et dignitátem amóris coniugális nobis revelávit. Nunc vero coram Ecclésia mentem vestram de his pándite.

Venistísne huc sine coactióne, sed líbero et pleno corde ad Matrimónium contrahéndum?

Estísne paráti, Matrimónii viam sequéntes, ad vos mútuo diligéndos et honorándos, totíus vitæ decúrsu?

Interrogatio sequens omitti potest si adiuncta hoc innuunt, ex. gr. si nupturientes sint ætatis provectæ.

Estísne paráti ad prolem amánter a Deo suscipiéndam, et ad eam secúndum legem Christi eiúsque Ecclésiæ educándam?

Consensus

129. Assistens eos invitat ut consensum exprimant:

Cum ígitur sancti Matrimónii fœdus iníre intendátis, déxteras iúngite et coram Deo eiúsque Ecclésia consénsum vestrum exprímite.

Dexteras iungunt.

130. Vir dicit:

Ego N. accípio te N. in uxórem meam et promítto me tibi fidem servatúrum, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut te díligam et honórem ómnibus diébus vitæ meæ.

Mulier dicit:

Ego N. accípio te N. in marítum meum et promítto me tibi fidem servatúram, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut te díligam et honórem ómnibus diébus vitæ meæ.

---

131. Si tamen, ex ratione pastorali, hoc opportunius videbitur, assistens contrahentium consensum per interrogationem requirere potest.

Et primo quidem virum interrogat:

N., vis accípere N. in uxórem tuam et promíttis te illi fidem servatúrum, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut eam díligas et honóres ómnibus diébus vitæ tuæ?

Respondet vir:

Volo.

Mox assistens mulierem interrogat:

N., vis accípere N. in marítum tuum et promíttis te illi fidem servatúram, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut eum díligas et honóres ómnibus diébus vitæ tuæ?

Respondet mulier:

Volo.

Receptio consensus

132. Deinde assistens excipiens consensum dicit sponsis:

Hunc vestrum consénsum,
quem coram Ecclésia manifestástis,
Dóminus benígne confírmet
et benedictiónem suam in vobis implére dignétur.
Quod Deus coniúngit, homo non séparet.

Vel:

Hunc vestrum consénsum,
quem coram Ecclésia manifestástis,
Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob,
Deus qui protoplástos coniúnxit in paradíso,
in Christo confírmet ac benedícat,
ut quod ipse coniúngit, homo non séparet.

133. Assistens ad Dei laudem adstantes invitat:

Benedicámus Dómino.

Omnes respondent:

Deo grátias.

Alia acclamatio proferri potest.

Benedictio et traditio anulorum

134. Assistens, manibus iunctis, hanc orationem profert:

Benedícat Dóminus hos ánulos,
quos alter álteri traditúri estis
in signum amóris et fidelitátis.

℟. Amen.

Et, pro opportunitate, anulos aspergit et tradit sponsis.

135. Sponsus anulum, sponsæ destinatum, digito anulari sponsæ inserit, pro opportunitate dicens:

N., áccipe hunc ánulum
in signum amóris mei et fidelitátis meæ.
In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Item sponsa anulum, sponso destinatum, digito anulari sponsi inserit, pro opportunitate dicens:

N., áccipe hunc ánulum
in signum amóris mei et fidelitátis meæ.
In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

136. Tunc a tota communitate proferri potest hymnus vel canticum laudis.

Oratio universalis

137. Postea fit oratio universalis (cuius specimina proponuntur in nn. 251-252).

138. Post invocationes, si sacra Communio distribuitur, statim dicitur benedictio nuptialis (n. 139). Si vero sacra Communio non distribuitur, assistens prosequitur, his vel similibus verbis:

Deum Patrem,
qui fílios suos vult in caritáte concórdes,
invocémus oratióne famíliæ Dei,
quam Dóminus noster Iesus Christus nos dócuit.

Et omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Benedictio nuptialis

139. Tunc assistens prosequitur, manibus iunctis:

Nunc super hos sponsos
Dei benedictiónem súpplices invocémus,
ut ipse suo fóveat benígnus auxílio
quos ditávit connúbii sacraménto.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

140. Deinde super sponsos genuflexos assistens dicit, manibus iunctis, orationem benedictionis nuptialis, omnibus participantibus:

Benedíctus Deus, Pater omnípotens,
qui hóminem pietátis tuæ dono creátum,
ad tantam voluísti dignitátem extólli,
ut in viri mulierísque consórtio
veram relínqueres tui amóris imáginem.

Omnes:

Benedíctus Deus.

Assistens:

Benedíctus Deus, Fili Unigénite, Iesu Christe,
qui in fidélium tuórum coniugáli fœdere
tuæ patére voluísti dilectiónis mystérium in Ecclésiam,
pro qua teípsum tradidísti ut esset sancta et immaculáta.

Omnes:

Benedíctus Deus.

Assistens:

Benedíctus Deus, Spíritus Sancte Paráclite,
omnis sanctificatiónis operátor et unitátis efféctor,
qui fílios dilectiónis inhábitas,
ut sollíciti sint serváre unitátem in vínculo pacis.

Omnes:

Benedíctus Deus.

Assistens:

Serva, Dómine, hos fámulos tuos N. et N.,
quos Matrimónii sacraménto coniunxísti,
in mútuo amóre concórdes,
ut, dum connúbii dono fruúntur,
humánam famíliam ornent fíliis,
sanctam ditent Ecclésiam
et tuos in mundo se testes osténdant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Vel:

Réspice, Dómine, super hos fámulos tuos N. et N.,
et præsta, ut in te solum confidéntes,
grátiæ tuæ dona percípiant,
caritátem in unitáte servent,
et post huius vitæ decúrsum
ad ætérnæ beatitúdinis gáudia,
una cum prole sua, perveníre mereántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde, si sacra Communio non distribuitur, fit conclusio celebrationis (n. 149).

Sacra Communio

141. Si sacra Communio distribuitur, post benedictionem nuptialem assistens accedit ad locum ubi Eucharistia asservatur, accipit vasculum vel pyxidem cum Corpore Domini, illud super altare deponit et genuflectit.

142. Deinde Orationem dominicam, his vel similibus verbis, introducit:

Præcéptis salutáribus móniti,
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:

Et omnes simul pergunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

143. Postea, pro opportunitate, his vel similibus verbis fideles invitat:

Offérte vobis pacem.

Sponsi et omnes pacem et caritatem sibi invicem significant.

144. His peractis, assistens genuflectit, accipit hostiam, eamque parum elevatam super vasculum vel pyxidem tenens, ad communicandos versus, dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Et communicandi subdunt:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

145. Si ipse assistens communicat, secreto dicit:

Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Corpus Christi.

146. Postea accipit vasculum vel pyxidem, accedit ad communicandos, et hostiam parum elevatam unicuique eorum ostendit, dicens:

Corpus Christi.

Communicandus respondet:

Amen.

Et communicatur.

147. Dum fit distributio Communionis, cantus aptus, pro opportunitate, proferri potest.

148. Distributione Communionis expleta, pro opportunitate, sacrum silentium per aliquod temporis spatium servari vel psalmus aut canticum laudis proferri potest.

149. Deinde assistens dicit hanc orationem:

Orémus.

Mensæ tuæ partícipes effécti,
quǽsumus, Dómine;
ut, qui nuptiárum iungúntur sacraménto,
tibi semper adhǽreant,
et tuum homínibus nomen annúntient.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Conclusio celebrationis

150. Tunc assistens ritum concludit, seipsum signans et dicens:

Deus rérpleat nos gáudio et spe in credéndo.
Pax Christi exsúltet in córdibus nostris.
Spíritus Sanctus in nos sua dona profúndat.

Omnes respondent:

Amen.

151. Celebratio cantu apto laudabiliter perficitur. Celebratione peracta, testes et assistens actum Matrimonii subscribunt. Subscriptio fieri potest vel in secretario vel coram populo; ne tamen fiat super altare.

CAPUT IV

ORDO CELEBRANDI MATRIMONIUM INTER PARTEM CATHOLICAM ET PARTEM CATECHUMENAM VEL NON CHRISTIANAM

152. Quoties Matrimonium contrahit pars catholica cum parte catechumena vel non christiana, celebratio fit sive in ecclesia sive in alio loco convenienti, secundum ritum sequentem.

Ordo, qui hic præbetur, servandus est a sacerdote, vel a diacono qui delegationem acceperit ab Ordinario loci vel parocho ad assistendum et benedicendum Ecclesiæ nomine Matrimoniis celebrandis.

Si, iuxta normam de qua n. 25, Matrimonium celebratur coram assistente laico, ab Episcopo diœcesano ad hoc delegato, servetur idem ordo, mutatis mutandis pro benedictione nuptiali. Assistens assumat vestem quæ hoc ministerium non dedeceat, aut ab Episcopo probatam.

Ritus receptionis

153. Statuto tempore, ille qui præest, indutus, si sacerdos vel diaconus est, alba et stola, vel etiam pluviali (aut dalmatica pro diacono), albi vel festivi coloris, comitantibus ministrantibus, accedit ad ianuam ecclesiæ vel ad locum electum, ubi nupturientes recipit et humaniter salutat.

Postea, ipse cum ministrantibus, nupturientes, testes et omnes adstantes ad sedes cuique dispositas accedunt.

154. Deinde ille qui præest eos alloquitur ut eorum animos ad Matrimonium celebrandum disponat, his vel similibus verbis:

N. et N., Ecclésia in vestro gáudio partem habet
et magno corde vos récipit,

una cum paréntibus et amícis vestris,
in die qua totíus vitæ consórtium inter vos constitúitis.
Pro credéntibus, Deus fons est dilectiónis et fidelitátis,
quóniam Deus cáritas est.
Quaprópter verbum eius atténte audiámus,
eúmque supplíciter deprecémur,
ut tríbuat vobis secúndum cor vestrum
et ímpleat omnes petitiónes vestras.

155. Si autem adiuncta hoc suadeant, omisso ritu receptionis, celebratio Matrimonii incipit a liturgia verbi.

Liturgia verbi

156. Sequitur, more consueto, liturgia verbi, textibus assumptis qui supra in n. 56 proponuntur vel aliis e lectionibus, quæ infra indicantur (nn. 179-222). Fieri possunt una vel duæ lectiones. Si vero ex adiunctis opportunius evadat, potest una tantum lectio fieri. Semper eligatur saltem una lectio quæ explicite de Matrimonio loquitur.

Absente sacerdote vel diacono, lectio evangelica sic introducitur:

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum N.

157. Postea habeatur homilia e textu sacro, muneribus condicionique coniugum et ceteris adiunctis aptata. Convenit ut laicus assistens adhortationem tradat aut homiliam legat ab Episcopo vel parocho significatam.

Celebratio Matrimonii

158. Deinde, omnibus stantibus, etiam nupturientibus, testibus hinc inde dispositis, ille qui præest, his vel similibus verbis, nupturientes alloquitur:

Dilectíssimi nobis, huc convenístis,
ut volúntas vestra Matrimónium contrahéndi
coram Ecclésiæ minístro
(coram me, qui ad hoc assisténdum
ab Epíscopo Ecclésiæ sum delegátus)

et communitáte
sacro sigíllo a Dómino muniátur
et eius benedictióne amor vester ditétur,
ut ad mútuam perpetuámque fidelitátem
et ad cétera Matrimónii offícia roborétur.
Quare vos coram Ecclésia de mente vestra intérrogo.

Interrogationes ante consensum

159. Tunc ille qui præest eos interrogat de libertate, de fidelitate et de suscipienda et educanda prole atque singuli respondent:

N. et N., venistísne huc sine coactióne, sed líbero et pleno corde ad Matrimónium contrahéndum?

Estísne paráti, Matrimónii viam sequéntes, ad vos mútuo diligéndos et honorándos, totíus vitæ decúrsu?

Interrogatio sequens omitti potest si adiuncta hoc innuunt, ex. gr. si nupturientes sunt ætatis provectæ.

Estísne paráti ad prolem amánter a Deo suscipiéndam, et ad eam secúndum legem Christi eiúsque Ecclésiæ educándam?

Consensus

160. Ille qui præest eos invitat ut consensum exprimant:

Cum ígitur Matrimónii fœdus iníre intendátis, déxteras iúngite et coram Deo eiúsque Ecclésia consénsum vestrum exprímite.

Dexteras iungunt.

161. Vir dicit:

Ego N. accípio te N. in uxórem meam et promítto me tibi fidem servatúrum, inter próspera et advérsa, in ægra et in

sana valetúdine, ut te díligam et honórem ómnibus diébus vitæ meæ.

Mulier dicit:

Ego N. accípio te N. in marítum meum et promítto me tibi fidem servatúram, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut te díligam et honórem ómnibus diébus vitæ meæ.

---

162. Si tamen, ex ratione pastorali, hoc opportunius videbitur, ille qui præest contrahentium consensum per interrogationem requirere potest.

Et primo quidem virum interrogat:

N., vis accípere N. in uxórem tuam et promíttis te illi fidem servatúrum, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut eam díligas et honóres ómnibus diébus vitæ tuæ?

Respondet vir:

Volo.

Mox ille qui præest mulierem interrogat:

N., vis accípere N. in marítum tuum et promíttis te illi fidem servatúram, inter próspera et advérsa, in ægra et in sana valetúdine, ut eum díligas et honóres ómnibus diébus vitæ tuæ?

Respondet mulier:

Volo.

Receptio consensus

163. Deinde ille qui præest excipiens consensum dicit sponsis:

Hunc vestrum consénsum,
quem coram Ecclésia manifestástis,
Dóminus benígne confírmet
et benedictiónem suam in vobis implére dignétur.
Quod Deus coniúngit, homo non séparet.

Vel:

Hunc vestrum consénsum,
quem coram Ecclésia manifestástis,
Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob,
Deus qui protoplástos coniúnxit in paradíso,
in Christo confírmet ac benedícat,
ut quod ipse coniúngit, homo non séparet.

164. Tunc ille qui præest ad Dei laudem adstantes invitat:

Benedicámus Dómino.

Omnes respondent:

Deo grátias.

Alia acclamatio proferri potest.

Benedictio et traditio anulorum

165. Si circumstantiæ id suadeant, benedictio et traditio anulorum omitti possunt. Si autem servantur, dicit sacerdos (vel diaconus):

Benedícat ✠ Dóminus hos ánulos,
quos alter álteri traditúri estis
in signum amóris et fidelitátis.
℟. Amen.

Aliæ formulæ benedictionis anulorum, nn. 229-230.

---

166. Laicus assistens, manibus iunctis, eadem verba profert omisso signo crucis:

Benedícat Dóminus hos ánulos,
quos alter álteri traditúri estis
in signum amóris et fidelitátis.
℟. Amen.

Et, pro opportunitate, anulos aspergit et tradit sponsis.

167. Sponsus anulum, sponsæ destinatum, digito anulari sponsæ inserit, pro opportunitate dicens:

N., áccipe hunc ánulum
in signum amóris mei et fidelitátis meæ.

Si christianus est, addere potest:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Item sponsa anulum, sponso destinatum, digito anulari sponsi inserit, pro opportunitate dicens:

N., áccipe hunc ánulum
in signum amóris mei et fidelitátis meæ.

Si christiana est, addere potest:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

168. Tunc a tota communitate proferri potest hymnus vel canticum laudis.

Oratio universalis

169. Postea fit oratio universalis (cuius specimina proponuntur in nn. 251-252).

170. Post invocationes, ille qui præest prosequitur, his vel similibus verbis:

Deum Patrem, qui fílios suos vult in caritáte concórdes,
ínvocent qui christiáni sunt, oratióne famíliæ Dei,
quam Dóminus noster Iesus Christus nos dócuit.

Et omnes christiani pergunt:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;

et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

Benedictio nuptialis

171. De more benedictio nuptialis profertur super sponsos. Attamen, si adiuncta hoc innuant, omitti potest et loco benedictionis nuptialis dicitur oratio, quæ infra indicatur in n. 174.

Sponsi in loco suo, pro opportunitate, genuflectunt.

Tunc sacerdos (vel diaconus) prosequitur, manibus iunctis:

Nunc super hos sponsos,
Dei benedictiónem súpplices invocémus,
ut ipse suo fóveat benígnus auxílio
quos ditávit connúbii consórtio.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

172. Deinde sacerdos (vel diaconus), stans ad sponsos conversus, manibus extensis super eos, prosequitur:

Pater sancte, mundi cónditor univérsi,
qui virum atque mulíerem
ad imáginem tuam creásti,
eorúmque societátem tua voluísti benedictióne cumulári:
te pro his fámulis tuis humíliter deprecámur,
qui hódie iungúntur fœdere nuptiárum.

Super hanc sponsam N., Dómine,
eiúsque vitæ consórtem N.
benedíctio tua copiósa descéndat
et virtus Spíritus Sancti tui
corda eórum désuper inflámmet,
ut, dum mútuo connúbii dono fruúntur,
morum sint integritáte conspícui
(et paréntes virtútibus comprobáti).

Læti te laudent, Dómine, te mæsti requírant;
te in labóribus sibi gáudeant adésse ut fáveas,
te séntiant in necessitátibus adstáre ut lénias;
et, adépti prósperam senectútem
cum hac qua circumdántur amicórum coróna,
ad cæléstia regna pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

---

173. Si præest laicus assistens, dicit, manibus iunctis:

Benedíctus es, Dómine Deus,
creátor et conservátor géneris humáni,
qui in viri mulierísque consórtio
veram reliquísti tui amóris imáginem.

Super hanc sponsam N., quǽsumus, Dómine,
eiúsque vitæ consórtem N.
benedíctio tua copiósa descéndat,
et virtus Spíritus Sancti tui
corda eórum désuper inflámmet,
ut, dum mútuo connúbii dono fruúntur,
morum sint integritáte conspícui
(et paréntes virtútibus comprobáti).

Læti te laudent, Dómine, te mæsti requírant;
te in labóribus sibi gáudeant adésse ut fáveas,
te séntiant in necessitátibus adstáre ut lénias;
et, adépti prósperam senectútem
cum hac qua circumdántur amicórum coróna,
ad cæléstia regna pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

174. Si, propter adiuncta, benedictio nuptialis omittitur, profertur hæc oratio super sponsos:

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et institútis tuis,
quibus propáginem humáni géneris ordinásti,
benígnus assíste,
ut quod te auctóre coniúngitur,
te auxiliánte servétur.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Conclusio celebrationis

175. Tunc sacerdos (vel diaconus) benedicit populum, dicens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

---

176. Si vero præest laicus assistens, ritum concludere potest, seipsum signans et dicens:

Deus répleat nos omni gáudio et pace in credéndo.
Pax Christi exsúltet in córdibus nostris.
Spíritus Sanctus in nos sua dona profúndat.

Omnes respondent:

Amen.

---

177. Celebratio cantu apto laudabiliter perficitur.

178. Celebratione peracta, testes et ille qui præest actum Matrimonii subscribunt. Subscriptio fieri potest vel in secretario vel coram populo; ne tamen fiat super altare.

CAPUT V

TEXTUS VARII IN RITU MATRIMONII ET IN MISSA « PRO SPONSIS » ADHIBENDI

I
LECTIONES BIBLICÆ

In Missa « pro sponsis » et in Matrimoniis sine Missa celebrandis, adhiberi possunt pericopæ, quæ sequuntur. Semper eligatur saltem una lectio quæ explicite de Matrimonio loquitur. Hæ lectiones cum asterisco designantur.

Lectiones e Vetere Testamento

* **179.** Gen 1, 26-28. 31a:

« Masculum et feminam creavit eos ».

Ait Deus: Faciámus hóminem... 31 usque ad erant valde bona.

* **180.** Gen 2, 18-24:

« Et erunt in carnem unam ».

Dixit Dóminus Deus: Non est bonum esse hóminem solum...

* **181.** Gen 24, 48-51. 58-67:

« Dilexit Isaac Rebeccam et consolatus est a morte matris suæ ».

In diébus illis: Servus Abraham dixit ad Laban: Benedíxi Dómino Deo dómini mei...

* **182.** Tob 7, 6-14:
« Dominus cæli bene disponat vobis, fili, et faciat misericordiam et pacem ».
In diébus illis: Ráguel osculátus est Thobíam...

* **183.** Tob 8, 4b-8:
« Consenescamus pariter sani ».
[Sero nuptiárum,] Thobías dixit Saræ: Surge, soror!...

* **184.** Prov 31, 10-13. 19-20. 30-31:
« Mulier timens Dominum ipsa laudabitur ».
Mulíerem fortem quis invéniet?...

185. Cant 2, 8-10. 14. 16a; 8, 6-7a:
« Fortis est ut mors dilectio ».
Vox dilécti mei... 16 usque ad ego illi. 8, 6 [Qui dixit mihi:]. Pone me... usque ad óbruent illam.

* **186.** Sir 26, 1-4. 16-21:
« Sicut sol oriens, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius ».
Mulíeris bonæ beátus vir...

187. Ier 31, 31-32a. 33-34a:
« Feriam domui Israel et domui Iuda pactum novum ».
Ecce dies véniunt, dicit Dóminus... 32 usque ad de terra Ægýpti. 34 usque ad ait Dóminus.

Lectiones e Novo Testamento

188. Rom 8, 31b-35. 37-39:
« Quis nos separabit a caritate Christi? ».
Fratres: si Deus pro nobis...

189. Rom 12, 1-2. 9-18 (longior) vel 1-2. 9-13 (brevior):

« *Exhibete corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* ».

Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei...

190. Rom 15, 1b-3a. 5-7.13:

« *Suscipite invicem sicut et Christus* ».

Fratres: Debémus nos non nobis placére... 3a. Christus non sibi plácuit.

191. 1 Cor 6, 13c-15a. 17-20:

« *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti* ».

Fratres: Corpus non fornicatióni, sed Dómino... 15 usque ad membra Christi sunt?

192. 1 Cor 12, 31—13, 8a:

« *Si caritatem non habuero, nihil mihi prodest* ».

Fratres: Æmulámini charísmata maióra... 8 Cáritas númquam éxcidit.

193. Eph 4, 1-6:

« *Unum corpus et unus Spiritus* ».

Fratres: Obsecro vos ego vinctus in Dómino...

* **194.** Eph 5, 2a. 21-33 (longior) vel 2a. 25-32 (brevior):

« *Mysterium hoc magnum est; ego autem dico de Christo et Ecclesia* ».

Fratres: Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos et trádidit seípsum pro nobis. 21 Subiécti [estóte] ínvicem...

195. Phil 4, 4-9:

« *Deus pacis erit vobiscum* ».

Fratres: Gaudéte in Dómino semper...

196. Col 3, 12-17:

« *Super omnia hæc: caritatem, quod est vinculum perfectionis* ».

Fratres: Indúite vos sicut elécti Dei...

197. Heb 13, 1-4a. 5-6b:

« *Honorabile connubium in omnibus* ».

Fratres: Cáritas fraternitátis máneat... 4a. et torus immaculatus... 6b non timebo.

* **198.** 1 Petr 3, 1-9:

« *Omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores* ».

Caríssimi: Mulíeres súbditæ sint suis viris...

199. 1 Io 3, 18-24:

« *Diligamus in opere et veritate* ».

Filíoli, non diligámus verbo...

200. 1 Io 4, 7-12:

« *Deus caritas est* ».

Caríssimi, diligámus nos ínvicem...

201. Ap 19, 1. 5-9a:

« *Beati, qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt!* ».

Ego, Ioánnes, audívi quasi vocem... 9 usque ad vocáti sunt.

Psalmi responsorii

202. Ps 32(33), 12 et 18. 20-21. 22.

℟. (5b): Misericórdia Dómini plena est terra.

203. Ps 33(34), 2-3. 4-5. 6-7. 8-9.

℟. (2a): Benedícam Dóminum in omni témpore.

Vel (9a): Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.

204. Ps 102(103), 1-2. 8 et 13. 17-18a.

℟. (8a): Miserátor et miséricors Dóminus.

Vel (cf. 17): Misericórdia Dómini ab ætérno in ætérnum super timéntes eum.

205. Ps 111(112), 1-2. 3-4. 5-7a. 7bc-8. 9.

℟. (cf. 1): Beátus vir, qui in mandátis Dómini cupit nimis.

Vel: Allelúia.

* **206.** Ps 127(128), 1-2. 3. 4-5.

℟. (cf. 1): Beáti omnes qui timent Dóminum.

Vel (4): Ecce sic benedicétur homo, qui timet Dóminum.

207. Ps 144(145), 8-9. 10 et 15. 17-18.

℟. (9a): Suávis Dóminus univérsis.

208. Ps 148, 1-2. 3-4. 9-10. 11-13ab. 13c-14a.

℟. (13a): Laudent nomen Dómini.

Vel: Allelúia.

Alleluia et Versus ante Evangelium

209. 1 Io 4, 7b:

Omnis, qui díligit, ex Deo natus est
et cognóscit Deum.

210. 1 Io 4, 8b et 11:

Deus cáritas est;
diligámus nos ínvicem, sicut Deus diléxit nos.

211. 1 Io 4, 12:

Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet,
et cáritas eius in nobis consummáta est.

212. 1 Io 4, 16:

Qui manet in caritáte, in Deo manet,
et Deus in eo.

Evangelia

213. Mt 5, 1-12a:

« *Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis* ».
In illo témpore: Videns Iesus turbas... 12 usque ad copiósa est in cælis.

214. Mt 5, 13-16:

« *Vos estis lux mundi* ».
In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ...

215. Mt 7, 21. 24-29 (longior) vel 21. 24-25 (brevior):

« *Ædificavit domum suam supra petram* ».
In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Non omnis qui dicit mihi: Dómine Dómine...

* **216.** Mt 19, 3-6:

« *Quod Deus coniunxit, homo non separet* ».
In illo témpore: Accessérunt ad Iesum pharisǽi...

217. Mt 22, 35-40:

« *Hoc est magnum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic* ».
In illo témpore: Interrogávit Iesum unus ex pharisǽis legis doctor...

* **218.** Mc 10, 6-9:

« *Non sunt duo sed una caro* ».
In illo témpore: Dixit Iesus: Ab inítio creatúræ...

* **219.** Io 2, 1-11:

« *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ* ».
In illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ...

220. Io 15, 9-12:

« *Manete in dilectione mea* ».
In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Sicut diléxit me Pater...

221. Io 15, 12-16:

« *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem* ».
In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum...

222. Io 17, 20-26 (longior) vel 20-23 (brevior):

« *Ut sint consummati in unum* ».
In illo témpore: [Sublevátis óculis in cælum, orávit Iesus dicens: Pater sancte,] non pro his rogo tantum...

II

COLLECTÆ

223. Hæc collecta non adhibeatur simul ac oratio prima benedictionis nuptialis (nn. 74. 105).

Deus, qui tam excellénti mystério
coniugále vínculum consecrásti,
ut Christi et Ecclésiæ sacraméntum
præsignáres in fœdere nuptiárum,
præsta, quǽsumus, his fámulis tuis,
ut, quod fide percípiunt, ópere persequántur.
Per Dóminum.

224. Deus, qui in humáno génere creándo,
unitátem inter virum et mulíerem esse voluísti,
fámulos tuos, qui coniugáli copulándi sunt fœdere,
uníus vínculo dilectiónis astrínge,
ut, quos in caritáte fructificáre largíris,
ipsíus caritátis testes esse concédas.
Per Dóminum.

225. Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et super hos fámulos tuos (N. et N.)
grátiam tuam benígnus effúnde,
ut qui apud tua coniungúntur altária
in mútua caritáte firméntur.
Per Dóminum.

226. Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut hi fámuli tui, nuptiárum sacraménto iungéndi,
in fide quam profiténtur accréscant,
et sóbole fidéli tuam ditent Ecclésiam.
Per Dóminum.

227. Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et institútis tuis,
quibus propáginem humáni géneris ordinásti,
benígnus assíste,
ut quod te auctóre coniúngitur,
te auxiliánte servétur.
Per Dóminum.

228. Deus, qui mundi crescéntis exórdio
multiplicátæ proli benedícis,
propitiáre supplicatiónibus nostris,
et super hos fámulos tuos (N. et N.)
opem tuæ benedictiónis infúnde,
ut in coniugáli consórtio
afféctu cómpari, mente consímili,
sanctitáte mútua copuléntur.
Per Dóminum.

III

ALIÆ ORATIONES AD BENEDICENDOS ANULOS

229. Bénedic, Dómine, hos ánulos,
quos in tuo nómine ✠ benedícimus;
ut qui eos gestáverint,
fidelitátem íntegram ínvicem tenéntes,
in pace et voluntáte tua permáneant
atque in mútua caritáte semper vivant.
Per Christum Dóminum nostrum.

230. Fámulos tuos, Dómine,
in suo amóre bénedic ✠ atque sanctífica;
et quibus hi ánuli sunt fídei signum,
mútuæ mémorent dilectiónis afféctum.
Per Christum Dóminum nostrum.

IV
ORATIONES SUPER OBLATA

231. Súscipe, quǽsumus, Dómine,
pro sacra connúbii lege munus oblátum,
et cuius largítor es óperis,
próvidus quoque esto dispósitor.
Per Christum Dóminum nostrum.

232. Múnera, quæ tibi, Dómine, lætántes offérimus,
benígnus assúme,
et quos sacraménti fœdere coniunxísti,
patérna pietáte custódi.
Per Christum Dóminum nostrum.

233. Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris,
et has oblatiónes, quas tibi pro his fámulis tuis
sancto fœdere copulátis offérimus,
benígno súscipe vultu,
ut per hæc mystéria
in mútua caritáte tuóque amóre firméntur.
Per Christum Dóminum nostrum.

V
PRÆFATIONES

234. De dignitate fœderis nuptiarum.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui fœdera nuptiárum blando concórdiæ iugo
et insolúbili pacis vínculo nexuísti,
ut multiplicándis adoptiónum fíliis
sanctórum connubiórum fecúnditas pudíca servíret.

Tua enim, Dómine, providéntia,
tuáque grátia ineffabílibus modis utrúmque dispénsas,
ut, quod generátio ad mundi prodúxit ornátum,
regenerátio ad Ecclésiæ perdúcat augméntum:
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem, cum Angelis et ómnibus Sanctis,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

235. De magno Matrimonii sacramento.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Quia in ipso novum nexuísti cum tuo pópulo testaméntum,
ut, quem mortis eius et resurrectiónis redemísses mystério,
divínæ fáceres natúræ consórtem
eiúsque in cælis glóriæ coherédem.
Cuius piíssimam grátiæ largitátem
in viri mulierísque significásti connúbio,
ut ad ineffábile tui amóris consílium
nos revocáret quod ágitur sacraméntum.

Et ídeo, cum Angelis et ómnibus Sanctis,
te laudámus sine fine dicéntes:

236. De Matrimonio ut signum divinæ caritatis.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui hóminem pietátis tuæ dono creátum
ad tantam voluísti dignitátem extólli,
ut in viri mulierísque consórtio
veram relínqueres tui amóris imáginem;

quem enim ex caritáte creásti,
eum ad caritátis legem vocáre non désinis,
ut ætérnæ tuæ caritátis partícipem esse concédas.
Cuius connúbii sancti mystérium
dum tuæ dilectiónis signum exsístit,
amórem sacrat humánum:
per Christum Dóminum nostrum.

Per quem, cum Angelis et ómnibus Sanctis,
hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

VI

MEMORIA SPONSORUM IN PRECE EUCHARISTICA

a) In Prece eucharistica I

237. Hanc ígitur proprium. Verba, quæ uncis includuntur, omitti possunt pro opportunitate.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et famulórum tuórum N. et N.
totiúsque famíliæ tuæ,
quæ pro illis tuam exórat maiestátem,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias:
et sicut eos ad diem nuptiárum perveníre tribuísti,
sic (tuo múnere desideráta sóbole gaudére profícias, atque)
ad optátam sériem próvehas benígnus annórum.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

b) In Prece eucharistica II

238. Post verba univérso clero addatur:

Recordáre quoque, Dómine, N. et N.
quos ad diem nuptiárum perveníre tribuísti:
ut grátia tua in mútua dilectióne et pace permáneant.

c) In Prece eucharistica III


239. Post verba adésto propítius addatur:

Confórta, quǽsumus, in grátia Matrimónii N. et N.
quos ad diem nuptiárum felíciter adduxísti,
ut fœdus quod in conspéctu tuo firmavérunt,
te protegénte, in vita semper consérvent.
Omnes fílios tuos...

VII
ALIÆ ORATIONES BENEDICTIONIS NUPTIALIS

240. In invitatorio, si unus ex sponsis vel ambo non communicant, omittuntur verba uncis inclusa. In oratione ipsa, verba uncis inclusa omitti possunt, sicubi rerum adiuncta id suadere videantur, ex. gr. si sponsi sint ætatis provectæ.

241. Sacerdos (vel diaconus), manibus iunctis, adstantes invitat ad orandum:




Super hos sponsos, qui, Matrimónium ineúntes,
ad altáre accédunt,
ut, (Christi Córporis Sanguinísque partícipes,)
mútua semper dilectióne nectántur,
Dóminum deprecémur.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

242. Deinde sacerdos (vel diaconus), manibus extensis super sponsos, prosequitur:




dus illud adumbrá-ri vo-lu- ísti quod ipse cum pópu-lo tu-
o in-í-re digná-tus es, ut, sacraménti signi- fi- ca- ti- ó-
ne complé- ta, in fi-dé- li- um tu-ó-rum con-iugá- li consórti-
o Christi et Ecclé- si- æ nupti- á-le pa-té-ret mysté-ri- um:
Super hos fámu-los tu- os (N. et N.) déxte-ram tu- am, quǽ-
sumus, propi- ti- á-tus exténde et in e- ó-rum corda Spí-
ri-tus Sancti virtú- tem effúnde. Præsta, Dómine, ut, in
hu- ius quod ín-e- unt sacraménti consórti- o, inter se a-


mó- ris tu- i do-na commú-ni-cent, et, præsénti- æ tu- æ si-
gnum ínvi-cem ostendéntes, cor unum fi- ant et á-nima u-
na.
Da é- ti- am, Dómine, ut domum, quam æ- dí- fi-cant,
ópe-re quoque susténtent, fi-li- ósque su- os, e-vangé- li-ca
disciplína formá-tos, cæ-lésti famí- li- æ tu- æ præpa-rent
co- optándos.

Vel, si verba uncis inclusa omitti debent:





Pater sancte,
qui hóminem ad imáginem tuam cónditum
másculum creásti et féminam,
ut vir et múlier, in carnis et cordis unitáte coniúncti,
munus suum in mundo adimplérent:

Deus, qui, ad amóris tui consílium revelándum,
in mútua dilectióne sponsórum
fœdus illud adumbrári voluísti
quod ipse cum pópulo tuo iníre dignátus es,
ut, sacraménti significatióne completa,
in fidélium tuórum coniugáli consórtio
Christi et Ecclésiæ nuptiále patéret mystérium:

Super hos fámulos tuos (N. et N.)
déxteram tuam, quǽsumus, propitiátus exténde
et in eórum corda Spíritus Sancti virtútem effúnde.

Præsta, Dómine, ut, in huius
quod íneunt sacraménti consórtio,


inter se amóris tui dona commúnicent,
et, præséntiæ tuæ signum ínvicem ostendéntes,
cor unum fiant et ánima una.


Da étiam, Dómine,
ut domum, quam ædíficant, ópere quoque susténtent,
(filiósque suos, evangélica disciplína formátos,
cælésti famíliæ tuæ præparent cooptándos).

Hanc fámulam tuam N.
tuis dignéris benedictiónibus cumuláre,
ut, uxóris (ac matris) múnera complens,
casta suam domum dilectióne refóveat,
et grátia décoret affábili.
Hunc étiam fámulum tuum N.
cælésti, Dómine, benedictióne proséquere,
ut, maríti fidélis (et próvidi patris)
offícia digne persólvat.


Concéde, Pater sancte,
ut, qui coram te coniúgio copuláti
ad mensam tuam accédere cúpiunt,
cæléste aliquándo convívium participáre læténtur.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

243. Sacerdos (vel diaconus), stans ad sponsam et sponsum conversus, manibus iunctis, adstantes invitat ad orandum:





su- o fó-ve- at be-nígnus auxí- li- o, quos di- tá-vit con-




núbi- i sacraménto.


Précibus nostris, fratres caríssimi,
super hos sponsos Dei benedictiónem súpplices invocémus,
ut ipse suo fóveat benígnus auxílio,
quos ditávit connúbii sacraménto.

Et omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.


244. Deinde sacerdos (vel diaconus), manibus extensis super sponsos, prosequitur:




Pa-ter sancte, mundi cóndi-tor u-nivérsi, qui vi-rum atque



mu- lí- e-rem ad imá-gi-nem tu- am cre- ásti, e- o-rúmque



so-ci- e- tá-tem, tu- a vo-lu- ísti bene- dicti- óne cumu- lá-



ri; te pro his fámu-lis tu- is humí-li-ter depre-cámur, qui


hó-di- e nupti- á- rum iungúntur sacramén-to.
Super hanc sponsam N., Dómine, e-iúsque vi-tæ consórtem N.
bene-dícti- o tu- a co-pi-ó-sa descéndat, et virtus Spí-ri -tus
Sancti tu- i corda e- ó-rum dé-super inflámmet, ut, dum
mú-tu- o connúbi- i dono fru- úntur, famí- li- am ornent fí-
li- is di- téntque Ecclé-si- am.
Læ- ti te laudent, Dómine, te mæsti requí-rant; te in la-
bó-ri-bus si-bi gáude- ant adésse ut fá-ve- as, te sénti- ant



Pater sancte, mundi cónditor univérsi,
qui virum atque mulíerem
ad imáginem tuam creásti,
eorúmque societátem, tua voluísti benedictióne cumulári;
te pro his fámulis tuis humíliter deprecámur,
qui hódie nuptiárum iungúntur sacraménto.

Super hanc sponsam N., Dómine,
eiúsque vitæ consórtem N.
benedíctio tua copiósa descéndat,
et virtus Spíritus Sancti tui
corda eórum désuper inflámmet,

ut, dum mútuo connúbii dono fruúntur,
famíliam ornent fíliis diténtque Ecclésiam.

Læti te laudent, Dómine, te mæsti requírant;
te in labóribus sibi gáudeant adésse ut fáveas,
te séntiant in necessitátibus adstáre ut lénias;
te in cœtu sancto precéntur,
tuos in mundo se testes osténdant;
et, adépti prósperam senectútem
cum hac qua circumdántur amicórum coróna,
ad cæléstia regna pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

VIII
ORATIONES POST COMMUNIONEM

245. Huius, Dómine, sacrifícii virtúte,
institúta providéntiæ tuæ
pio favóre comitáre,
ut, quos sancta societáte iunxísti
(et uno pane unóque cálice satiásti),
una étiam fácias caritáte concórdes.
Per Christum Dóminum nostrum.

246. Mensæ tuæ partícipes effécti,
quǽsumus, Dómine,
ut, qui nuptiárum iungúntur sacraménto,
tibi semper adhǽreant,
et tuum homínibus nomen annúntient.
Per Christum Dóminum nostrum.

247. Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus,
ut accépti virtus sacraménti
in his fámulis tuis sumat augméntum,
et hóstiæ quam obtúlimus
a nobis ómnibus percipiátur efféctus.
Per Christum Dóminum nostrum.

IX

BENEDICTIONES IN FINE CELEBRATIONIS

248. Deus Pater ætérnus
in mútuo vos servet amóre concórdes,
ut pax Christi hábitet in vobis,
et in domo vestra iúgiter máneat.

℟. Amen.

Benedictiónem habeátis in fíliis,
ab amícis solácium,
et veram cum ómnibus pacem.

℟. Amen.

Caritátis Dei testes sitis in mundo,
ut, quos afflícti et egéni benígnos invénerint,
in ætérna Dei tabernácula vos grati aliquándo recípiant.

℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

249. Deus Pater omnípotens gáudium suum vobis concédat et in fíliis vos benedícat.

℟. Amen.

Unigénitus Dei Fílius in prósperis et advérsis
vobis miserátus assístat.

℟. Amen.

Spíritus Dei Sanctus caritátem suam
in corda vestra semper effúndat.

℟. Amen

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

250. Dóminus Iesus, qui núptiis in Cana adésse dignátus est, vobis et propínquis vestris benedictiónem suam largiátur.

℟. Amen.

Ipse, qui Ecclésiam diléxit in finem,
amórem suum in corda vestra indesinénter effúndat.

℟. Amen.

Det vobis Dóminus ut, eius resurrectiónis fidem testántes,
beátam spem exspectétis in gáudio.

℟. Amen.

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

APPENDICES

I

ORATIONIS UNIVERSALIS SPECIMINA

251. Fratres caríssimi,
speciále grátiæ et caritátis donum recoléntes,
quo Deus amórem fratrum nostrórum N. et N.
perfícere et sacráre dignátus est,
eos Dómino commendémus:

Ut christifidéles N. et N.,
nunc Matrimónio in sanctitáte coniúncti,
perpétua salúte et sanitáte gaudére váleant,
Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Vel alia apta responsio populi.

Ut fœdus eórum benedícat,
sicut in Cana Galilǽæ núptias sanctificáre dispósuit,
Dóminum deprecémur. ℟.

Ut eis perféctus et fecúndus amor,
pax et auxílium tribuátur,
et bonum testimónium de nómine christiáno perhíbeant,
Dóminum deprecémur. ℟.

Ut pópulus christiánus
de die in diem in virtúte profíciat
et ómnibus qui váriis premúntur necessitátibus
supérnæ grátiæ auxílium conferátur,
Dóminum deprecémur. ℟.

Ut ómnibus coniúgibus hic præséntibus
a Spíritu Sancto renovétur grátia sacraménti,
Dóminum deprecémur. ℟.

Spíritum tuæ caritátis, Dómine,
in hos sponsos benígnus effúnde,
ut cor unum fiant et ánima una,
quátenus nihil prorsus séparet, quos tu coniunxísti,
nihil afflíctet, quos tua benedictióne implevísti.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

252. Fratres caríssimi,
hanc novam famíliam nostris prosequámur précibus,
ut mútuus amor istórum cóniugum in dies percréscat
atque Deus ómnibus in mundo famíliis benígnus succúrrat.

Pro novis sponsis hic astántibus
et pro bono eiúsdem famíliæ,
Dóminum deprecémur.

℟. Te rogámus, audi nos.

Vel alia apta responsio populi.

Pro eórum propínquis et amícis
cunctísque qui ipsis sponsis adiuménto fuérunt,
Dóminum deprecémur. ℟.

Pro iuvénibus,
qui ad Matrimónium ineúndum se præparant,
et pro ómnibus,
quos Dóminus ad áliam vitæ condiciónem vocat,
Dóminum deprecémur. ℟.

Pro ómnibus in mundo famíliis
et pro pace inter hómines firmánda,
Dóminum deprecémur. ℟.

Pro cunctis familiárum nostrárum membris,
quæ ex hoc sæculo transiérunt cunctísque defúnctis,
Dóminum deprecémur. ℟.

Pro Ecclésia, Pópulo sancto Dei,
ac pro ómnium christianórum unitáte,
Dóminum deprecémur. ℟.

Dómine Iesu, qui in médio nostri ades,
dum N. et N. uniónem suam obsígnant,
súscipe oratiónem nostram
nosque tuo reple Spíritu.
Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

II
ORDO BENEDICTIONIS DESPONSATORUM

PRÆNOTANDA

253. Inter coniugum christianorum officia et eorum apostolatus formas, præter filiorum educationem, haud parvi videtur esse momenti auxilium desponsatis præstandum quo ipsi melius sese ad Matrimonium præparent.

Honesta igitur christianorum sponsalia pro duabus familiis peculiaris fiunt eventus, quem aliquo ritu et communi oratione celebrare convenit ut benedictione divina impetrata, quod feliciter incipitur, feliciter etiam suo tempore consummetur.

Celebratio hæc rerum adiunctis erit accommodanda.

254. Quando sponsalia in intimitate duarum familiarum celebrantur, unus ex parentibus ritui benedictionis opportune præesse potest. Si vero adsit sacerdos vel diaconus, tunc ipsi præsidis officium opportunius competit, dummodo perspicuum adstantibus evadat non agi de celebratione Matrimonii.

255. Ordo igitur, qui hic præbetur, adhiberi potest tum a parentibus, tum a sacerdote, a diacono vel ab alio laico qui, potioribus elementis ac ritus structura servatis, adiunctis singulas partes aptabunt.

256. Hic ordo celebrationis adhiberi potest etiam quando, iam inito sponsalium tempore, desponsati adunantur ad catecheticam præparationem faciendam antequam Matrimonium celebretur. Numquam vero sponsalia vel peculiaris benedictio desponsatorum cum Missæ celebratione sunt coniungenda.

Ritus initiales

257. Familia congregata, si præest sacerdos vel diaconus, facto signo crucis, adstantes salutat, dicens:

Grátia vobis et pax
a Dómino nostro Iesu Christo,
qui diléxit nos et trádidit se ipsum pro nobis.

Vel alia apta verba e Sacris Scripturis præsertim deprompta.

Omnes respondent:

Et cum spíritu tuo.

Vel alio apto modo.

---

258. Si minister est laicus, facto signo crucis, adstantes salutat, dicens:

Fratres, Dóminum nostrum Iesum Christum laudémus,
qui diléxit nos et trádidit se ipsum pro nobis.

Omnes respondent:

Amen.

---

259. Tum minister adstantes ad benedictionem accipiendam disponit, his vel similibus verbis:

Omnibus omníque témpore grátiam Dei semper necessáriam esse scimus; néminem tamen latet eádem grátia tum máxime christifidélibus opus esse cum ad novam famíliam instituéndam se præparant.

Ut ergo hi fratres nostri in mútua crescant æstimatióne, sincérius se díligant atque opportúna vitæ necessitúdine et commúni oratióne sancti Matrimónii celebratiónem caste matúrent, divínam pro ipsis benedictiónem implorémus.

Lectio verbi Dei

260. Deinde unus ex adstantibus vel ipse minister legit textum Sacrarum Scripturarum.

Io 15, 9-12: « *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* ».

Audíte, fratres, verba sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

Dixit Iesus discípulis suis: « Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos; manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut ego Patris mei præcépta servávi et máneo in eius dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos ».

261. Vel:

1 Cor 13, 4-13: « *Caritas omnia credit, sperat, suffert* ».

Audíte, fratres, verba Pauli apóstoli ad Corínthios.

Cáritas pátiens est, benígna est cáritas, non æmulátur, non agit supérbe, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit, quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitátem, congáudet autem veritáti; ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.

Cáritas numquam éxcidit. Sive prophetíæ, evacuabúntur; sive linguæ, cessábunt; sive sciéntia, destruétur. Ex parte enim cognóscimus et ex parte prophetámus; cum autem vénerit, quod perféctum est, evacuábitur, quod ex parte est. Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus; quando factus sum vir, evacuávi, quæ erant párvuli.

Vidémus enim nunc per spéculum in ænígmate, tunc au-

tem fácie ad fáciem; nunc cognósco ex parte, tunc autem cognóscam, sicut et cógnitus sum. Nunc autem manet fides, spes, cáritas, tria hæc; maior autem ex his est cáritas.

262. Vel:

Os 2, 21-26: *Sponsabo te in fide.*

Hæc dicit Dóminus ad Sion: « Sponsábo te mihi...

Phil 2, 1-5: *Idipsum sentientes.*

Fratres, si qua consolátio in Christo...

263. Pro opportunitate dici vel cani potest psalmus responsorius aut alius cantus aptus.

Ps 144 (145), 8-9. 10 et 15. 17-18.

℟. (9a) Suávis Dóminus univérsis.

8 Miserátor et misericors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
9 Suávis Dóminus univérsis,
et miseratiónes eius super ómnia ópera eius. ℟.

10 Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua;
et sancti tui benedícant tibi.
15 Oculi ómnium in te sperant,
et tu das illis escam in témpore opportúno. ℟.

17 Iustus Dóminus in ómnibus viis suis
et sanctus in ómnibus opéribus suis.
18 Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum,
ómnibus invocántibus eum in veritáte. ℟.

264. Ille qui præest adstantes breviter alloquitur, lectionem biblicam illustrans, ut sensum celebrationis fide percipiant, eamque recte a celebratione Matrimonii distinguere valeant.

Preces

265. Sequitur prex communis. Ex intercessionibus quæ infra proponuntur, ille qui præest seligere potest eas quæ aptiores videantur vel alias adicere quæ peculiaria rerum adiuncta respiciant:

Deum Patrem, qui hómines ita diléxit
ut fílios suos rédderet in Christo,
eósque diléctionis suæ testes
mundo manifestáret,
fidénter invocémus:

℟. Amórem tuum, Dómine, fac nos habére perpétuum.

Vel alia apta responsio populi.

Qui in mútua dilectióne veros fílios tuos, Christi fratres,
maniféstos fíeri voluísti. ℟.

Qui suáves amóris tui condiciónes homínibus impónis,
ut, iísdem obsequéntes, felicitátem invéniant. ℟.

Qui virum et mulíerem mútua dilectióne coniúngis,
ut quæ inde família constitúitur
filiórum coróna lætétur. ℟.

Qui amóris sponsális plenitúdinem in Matrimónii sacraménto
per oblatiónem paschálem Fílii tui mýstice figurásti,
qua Christus diléxit Ecclésiam
eámque immaculátam tibi in sánguine suo exhíbuit. ℟.

Qui N. et N. ad plenam ádvocas amóris communiónem
qua christiánæ famíliæ membra
corde fiant et ánimo unum. ℟.

266. Ante orationem benedictionis, secundum loci consuetudinem, sponsalia contrahentes signum promissionis exprimere possunt, v. gr. alicuius instrumenti subsignatione, anulorum vel aliorum donorum traditione.

267. Anuli vel alia desponsationis dona possunt sequenti formula benedici:

Obláta ínvicem múnera ita servétis,
ut, quæ mútua donatióne spopondístis,
suo témpore compleátis.

℟. Amen.

Oratio benedictionis

268. Tum ille qui præest, manibus iunctis, orationem profert; si vero est sacerdos vel diaconus, manibus extensis:

Laudes tibi, Dómine, persólvimus,
qui hos fílios tuos N. et N.
ad ínvicem diligéndos
suávi consílio próvocas atque dispónis;
eórum corda, quǽsumus, confirmáre dignéris,
ut fidem servántes,
et per ómnia tibi placéntes,
ad coniúgii sacraméntum felíciter pervéniant.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

269. Vel quando præest sacerdos vel diaconus:

Dómine Deus, totíus fons dilectiónis,
cuius providénti consílio
iúvenes isti mútuo sibi obviavérunt occúrsu;
concéde propítius,
ut qui ad sacraméntum se præparántes
tuam grátiam éxpetunt,
supérna benedictióne ✠ suffúlti,
et mútua æstimatióne profíciant
et ínvicem sincéra díligant caritáte.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Conclusio ritus

270. Tum ille qui præest ritum concludit, dicens:

Deus amóris et pacis hábitet in vobis,
gressus vestros dírigat
et corda vestra in suo amóre confírmet.

Omnes:

Amen.

271. Celebratio laudabiliter cantu apto perficitur.

III

ORDO BENEDICTIONIS CONIUGUM INTRA MISSAM OCCASIONE DATA ANNIVERSARII MATRIMONII ADHIBENDUS

272. In præcipuis anniversariis Matrimonii, uti v. gr. in XXV, L, LX, opportune peculiaris memoria sacramenti habetur celebratione Missæ propriæ cum orationibus in Missali Romano indicatis (*Missæ pro variis necessitatibus,* 11. In Anniversariis Matrimonii).

273. In liturgia verbi, ad normam rubricarum, sumi possunt lectiones vel ex Lectionario in celebratione Matrimonii (cf. supra, in nn. 179-222), vel e Missa pro gratiis Deo agendis ex Lectionario Missarum pro variis necessitatibus (cf. *Missale Romanum,* Ordo Lectionum Missæ, nn. 943-947).

274. Post lectionem Evangelii, sacerdos in homilia, e textu sacro facienda, exponat mysterium et gratiam matrimonialis vitæ christianæ, attentis tamen diversis personarum adiunctis.

275. Deinde sacerdos coniuges invitat ut orationem in silentio peragant, et propositum coram Deo renovent sancte vivendi in Matrimonio, his vel similibus verbis:

Recurrénte anniversário die illíus celebratiónis, in qua vitam vestram per Matrimónii sacraméntum indissolúbili vínculo iunxístis, mútuas promissiónes olim factas nunc coram Dómino renováre inténditis. Ut hæ promissiónes grátia divína firméntur, preces ad Dóminum dirígite.

276. Tunc coniuges secreto propositum renovant.

277. Si vero, pro opportunitate, coniuges propositum manifeste renovare volunt adhibetur modus qui hic proponitur:

Sponsus:

Benedíctus es, Dómine, quia te largiénte
N. in meam uxórem accépi.

Sponsa:

Benedíctus es, Dómine, quia te largiénte
N. in marítum meum accépi.

Ambo:

Benedíctus es, Dómine,
quia in prósperis vitæ nostræ et advérsis
nobis benígnus adstitísti.
Adiuva nos, quǽsumus,
ad mútuum amórem fidéliter servándum,
ut boni testes simus fœ́deris, quod cum homínibus pepigísti.

Sacerdos:

Dóminus custódiat vos ómnibus diébus vitæ vestræ.
Sit vobis in advérsis solámen, in prósperis adiútor,
domúmque vestram benedictiónibus suis fáciat abundáre.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Benedictio anulorum

278. Tunc sacerdos, pro opportunitate, hanc orationem profert:

Famulórum tuórum, Dómine,
amórem auge atque sanctífica;
ut qui hos ánulos
in fídei signum sibi mútuo tradidérunt,
in grátiam sacraménti semper profíciant.
Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Et anuli incensatione honorari possunt.

279. Si vero anuli renovantur, sacerdos hanc orationem benedictionis profert:

Famulórum tuórum, Dómine,
bénedic amórem et sanctífica;
et quibus hi ánuli sunt fídei signum,
mútuæ mémorent dilectiónis affféctum
gratiámque sacraménti.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Alia formula, n. 229.

280. Sequitur oratio universalis seu fidelium modo in Missæ celebratione consueto, vel prex communis modo qui hic proponitur:

Dei Patris omnipoténtis,
qui providentíssimo suo consílio históriam salútis in amóre,
fidelitáte (et fecunditáte) coniugáli significátam vóluit,
misericórdiam invocémus:

℟. Tuórum, Dómine, rénova fidelitátem servórum.

Pater sancte, qui fidélis vocáris
et observántiam tui fœderis póstulas atque repéndis,
hos fámulos tuos,
qui (vigesimumquíntum, quinquagésimum, sexagésimum)
sui Matrimónii anniversárium récolunt,
benedictiónibus tuis replére dignéris. ℟.

Qui una cum Fílio et Spíritu Sancto,
plena vitæ unitáte
et amóris communióne ab ætérno frúeris,
concéde ut quod fœdus amóris
hi fámuli tui sacraménto pepigérunt,
et iúgiter mémorent et fidéliter servent. ℟.

Qui omnes humánæ vitæ experiéntias
ita in tua providéntia dispónis
ut fidéles ad Christi mystérium participándum addúcas,
da ut hi fámuli tui
próspera et advérsa plácide suscipiéntes,
Christo adhærére eíque soli vívere conéntur. ℟.

Qui coniugále consórtium
vitæ christiánæ documéntum esse voluísti,
præsta ut omnes cóniuges
testes fiant in mundo mystérii dilectiónis Fílii tui. ℟.

281. Sacerdos concludit orationem:

Deus, in cuius dispositióne
socíetas familiáris firmum suum habet fundaméntum,
famulórum tuórum preces miserátus exáudi,
et præsta ut, exémpla sanctæ Famíliæ sectántes,
in lætítia domus tuæ te sine fine colláudent.
Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

282. In liturgia eucharistica omnia fiunt secundum Ordinem Missæ, præter ea quæ sequuntur.

In præsentatione donorum coniuges panem, ac vinum et aquam ad altare, pro opportunitate, deferre possunt.

283. Dicto Pater et omisso Líbera nos, sacerdos ad coniuges conversus, manibus extensis, dicit:

Te Deum, ómnium laudámus et benedícimus creatórem,
qui virum et mulíerem in princípio fecísti,
ut vitæ et amóris societátem constitúerent;
tibi étiam grátias ágimus
quia famulórum tuórum N. et N.
familiáre consórtium benedícere dignátus es,

ut uniónis Christi cum Ecclésia imáginem exhibéret:
eos ergo hódie cleménter réspice,
et quorum communiónem
inter gáudia servásti atque labóres,
nuptiále fœdus indesinénter répara,
auge caritátem, vínculum pacis confírma,
ut (cum hac qua circumdántur filiórum coróna)
tua semper benedictióne fruántur.
Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes respondent:

Amen.

284. Dicto Pax Dómini, pro opportunitate et iuxta locorum consuetudines, coniuges et ceteri omnes, modo convenienti, pacem et caritatem sibi invicem significant.

285. Coniuges communicare possunt sub utraque specie.

286. In fine Missæ sacerdos benedicit coniuges et adstantes, vel modo consueto, vel formula sollemniore, v. gr. modo sequenti:

Diaconus adstantes ad benedictionem accipiendam invitat, his vel similibus verbis:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Tum sacerdos, manibus super coniuges extensis, dicit:

Deus Pater omnípotens
gáudium suum vobis concédat.

℟. Amen.

Unigénitus Dei Fílius
in prósperis et advérsis
vobis miserátus assístat.

℟. Amen.

Spíritus Sanctus caritátem in corda vestra
semper effúndat.

℟. Amen.

Denique omnes adstantes benedicit, addens:

Et vos omnes, qui hic simul adéstis,
benedícat omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

INDEX

IMAGO INITIO VOLUMINIS POSITA
EX MANUSCRIPTO MS 108 DEPROMPTA
BIBLIOTHECAE MUNICIPALIS AMBIANENSIS